



St. Joh. Bl. 1.



1. Gerhard f. Joh. Ern. / Diff. de umbra,  
tione & virtutis altissimi ex alio.  
1. vers 35. i. cae 1688.
2. Gejer f. Mart. / Diff. Riga, nempe  
Prot Evangelium Genes. III. v. 15.  
ut et Messie mors, Sepultura  
ac Resurrecacio. Ies: LIII. v. 3=10  
Lipſia 1695.
3. Diff. Superstitione,  
Lipſia, 1660.
4. Gerhard f. Joh. Con. / Diff. de  
rembratione virtutis Altissimi  
i. cae 1663.

Munimentum 28  
27.  
**SECURITATIS**  
**HUMANÆ,**  
**EX IMAGINE DIVINA,**  
EJUSDEMQUE RELIQVIIS,  
ab Ipso Sanctissimo Mundi Creatore  
*GEN. IX. 6.*  
exstructum,

Consentiente Vener. & Ampliss. Facult. Theol.

PRÆSIDE

**DN. JACOBO HENNINGIO,**

SS. Theologiæ Doctore & Professore, Consistorii Regii  
Adseffore, & ad D. Jacobi Pastore,  
Domino Patrono, Promotore ac Præceptore suo  
etatem colendo,

In Inclita Academia Patria,  
Anno MDCLXXXIX. d. April. horis locoque consuetis  
Publica oppugnationi expositum.

**NICOLAO KÖPPEN/ Wolg. Pom.**

---

GRYPHISWALDIAE,  
LITERIS DANIELIS BENJAMINIS STARDENS/  
REG. ACAD. TYPOGRAPHI, ANNO 1711.

NICOTAO Sappho, Molo, four  
In Juleyta Academis Palma  
Dame P. de la P. Moreto, T. Carde  
A. Chabrol, & ap. Isop. Moreto,  
T. Moreto, & ap. Moreto.  
Dame P. de la P. Moreto, T. Carde  
A. Chabrol, & ap. Moreto,  
T. Moreto, & ap. Moreto.  
DN. IACOB. HENNINGO  
Pratiside  
Cathaginum  
QDA. N.  
Ex Ibla super illito Minib. Cestiole  
Elisdemage retiolas  
Ex MAGIN. DIAINA  
HUMANAE  
SACRATIS

THE VERSATILE DANBURY BENJAMIN'S CHURCH  
OF THE CHRISTIANITY AND THE BIBLE

§. I.  
PROOEMIALIS.

Nter cætera, ad qvæ grato agnoscenda animo obli-  
gamur, DEI beneficia, est nostri tutela & defensio:  
Ex quo enim Homo fuit, hæc ipsi curæ cordique fuit.  
Qvandoqvidem omnibus modis se sui communica-  
tivum demonstraturus, non sufficere ratus, Homi-  
nem creasse, & conservare voluit; In hoc Architecto  
absimilis, qvi, qvanqvam domum extruxerit, de exstructa amplius  
sollicitus non est; Cum tamen providens Numen non minus Microco-  
smum ac Macrocosmum, ut cum summa potentia & sapientia laude-  
creavit, conserveret. Imo, cum propter Microcosmum sit Macrocosmus,  
adeoque & Hominis ergo cætera conservet, sui solius ergo Hominem;  
apparet, illum specialiori Providentia modo & gradu circa Hominem  
versari, ut iterum specialissimo circa pios occupatur. Sed prolixum fo-  
ret, qvando hic detineri Nos patremur, dum ad alia tendimus. Proin-  
tantum notare juvat, ad specialem illam circa Hominem providentiam  
illud, de quo nunc dispiciendum est, *Munimentum Securitatis nostræ re-  
ferti*. Omne enim Nostrum, v. g. qvod non tantum simus, ut Inanima-  
ta, vivamus, ut vegetantia, sentiamus, ut sentientia, sed & intelliga-  
mus, ut rationis compotes, divinæ debemus benignitati, & benignissi-  
mæ eidem Providentia, qvod in Existentia & Essentia perseveremus.  
Qvam enim Securitatem ipsi Nobis dare haut potujimus, largissime con-  
cessit, vitam nostram moderans in ingressu, viam in progressu, finem  
in egressu. Nec tantum positivum Ejusmodi Conservationis influxum  
impertitur, sed & Moralem, prohibendo id omne, qvod externam &  
violentam Mortem acceleraret. Heic si dispicimus, amplissimum  
*Mediorum pro securitate nostra*, apparatus deprehendimus; Alia Ex-  
terna, alia Interna; vid. infr. §. 4. Alia Physica, alia Moralia, alia  
Mixta; prout & contraria Mala totidem sunt. Sic, qvando Secu-  
ritatem nostram impetunt Morbi & Venena, obstant Medicamina:  
Qvando Bruta nos invadunt, & belluini Homines, arma nos defen-  
dunt. Qvin, ne impetamur, jam divina prospexit sapientia, dum  
Bruta terrore indito, Hominem præcepto retrahit. vid. §. jam jam cit.  
Ut vero Lex Medium Securitatis Morale est, sic Imaginem divinam  
forte an incongrue Mixtum aliquod in Statu Integritatis dixeris;

A

Cum

Cum & Moraliter & Physice securos nos praestaret: Moraliter, dum restitudo Voluntatis humanæ, legi divinæ exacte respondens, mutuas quascunq; injurias eliminabat. Physice, dum Corporis harmonia & temperies, longe perfectissima, intus quidem omne noxiū respuebat, foris Impassibiles Nos reddebat. Qvæ causandæ Securitatis ratio licet per lapsum in tantum perierit, ut mortem in lucem afferamus nobiscum, & circumferamus, aliquantulum quidem, sed non in longum obnientibus & Naturæ & Artis beneficiis; remansit tamen inter alias Imaginis Primæva Reliquias Securitas Moralis, severius Magistratum curæ subditæ, quam adhuc aliquantulum prolixius sumus consideraturi, facem præferente L. Gen. IX. 6.

TEXTUS.

שָׁפֵךְ וּמַתְּהוֹרֶת בְּאַרְבָּם רָמוֹ יִשְׁפְּךְ כִּי בְּצָלָם אֱלֹהִים  
עשָׂה אֶת הָרָבָת

LXX. Interpretes.

Οἱ ἐκχέων αἷμα ἀνθρώπου, αὐτοὶ τὰς αἰματικὰς ἀγάθας ἐκχυθήσεται, διότι εἰν οὐκού θεοὶ ἐποίησε τὸν ἀνθρώπον.

Versio Vulgata.

Qvicunque effuderit humanum sanguinem (supplet Osiander per Hominem) funderetur sanguis Ejus.

Pagninus & Varabius.

Qui effuderit Sanguinem Hominis in homine, Sanguis Ejus effundetur: qvia ad Imaginem DEI fecit Hominem.

LUTHERIUS.

Wer Menschen Blut vergießt / des Blut soll auch durch Menschen vergossen werden / denn GOTT hat den Menschen zu seinem Bilde gemacht.

S. 2. Consideranda heic tria veniunt.

1. *Homicidii prohibitio.*
2. *Additæ comminatio.*
3. *Utriusque ratio.*

S. 3. Prima in illis conspicitur verbis: *Qui humanum sanguinem*

gvinem effuderit. Hinc breviter expendemus (1) in antecessum Prohibentis Autoritatem, (2) Prohibitionis Qualitatem, (3) Necessitatem.

§. 4. Is, qui prohibet, DEUS est, vers. 1. qui sibi hoc Cap. cum dominium in universam Creaturam vindicat, tum curam in res, à se conditas, præcipue Hominem, ostendit. Illud enim partim è vers. 2. 3. patet, ubi & Terra fructus, & qvicquid sub cœlo vivit, in usus humanos liberali manu porrigit; partim è vers. 4. dum eximit esum Carnis in suo adhuc viventis Sangvine; Liberrima enim hæc dispensatio circa Creaturas, qva alibi laxat usum, alibi restringit, indubium divini dominij in omnia documentum est; Cui nec ipsis quidem exemptus est Homo, qvippe cuius Voluntati modum ponit, postquam Eisdem subdidit Creaturam. Curam evincunt (1) Benedictio, vers. 1. & multiplicandi semet concessa facultas, non ex parte, quidem, ut Homo proli sua materiam largiatur, id qvod præcipuum est, Animam non largiatur, sed ex toto, qyoniam hæc multiplicatio restricta non est, sed totum complebitur Hominem, qui Terram implere, & dominari Creaturæ debebat. (2) Vitæ Conservatio, tum Externa, qvæ in propulsione omnis violentia consistit. Eo enim fine vers. 2. partim Animalia metu implet, ut Hominis conspectum vereantur & fugiant & vers. 5. sanguinem humanum in Brutis quoque se vindicaturum suscipit; partim Hominem cohibet vers. 5. 6. ne violentas alii inferat manus. Tum Interna per suppeditationem Ciborum ad vitam tolerandam necessariorum vers. 3. Faciebat enim ad sapientiam divinam declarandam, Hominis vitam, tot adminiculis instructam, tot munimentis septam, impiorum Hominum libidini non permettere; Faciebat ad illustrandam autoritatem, Jus Vitæ & Ne-  
cis non collocare in cuiusvis manu, sed Sibi Autori Vitæ, servare dispensandum per Eos, qvos ad id peculiari facultate donarat. Neque Divina Benignitati vel Cura detrahit qvippiam, qvod inter Creaturas tot sint Pernicioſa: Nam (1) Oꝝres non sunt talia; sed si quid pernicioſum est, id culpa Lapsus Hominis tale est: Qvippe in statu Innocentia non nisi Salubria omnia Homini obversata fuissent, cum nunc propter Hominem Terra sit maledicta Gen. III. 17. qvæ Male-  
dictio adhucdum ei adhaeret, & omnibus, qvæ cæteroquin in usum, & deliciū fuissent. (2) Sint Aliqua Pernicioſa, sunt non in totum,

sed in tantum talia: Adeoque nulla DEO (juxta argumentum Epicuri apud Lactant. *I. de im DEI c. XII.*) Invidiae labes est improperanda, cum, qvi Bonum & Malum juxtim creavit, & Homini potentiam utrumque dijudicandi, alterutrum feligendi concreavit. (3) Iterum, Nulla in Deo est invidia, Non tollere velle perniciosa cum possit; Siqvidem hoc ipso tum absolutum suum in res à se creatas dominium demonstrat, tum Ea relinquit ex justo consilio, vel in peccati poenam, qva impios, vel in paternam coercitionem, qva pios, minimum in præmonitionem: vel in amissâ bonitatis, & contractæ invicem malitiae moralis commonefactionem, qva universos: Cum, si Homo non fuisset Malus erga DEUM, nec Creatura fuisset mala erga Hominem. (4) Qvæ perniciosa sunt qva Nos, in sua tamen Specie aut Genera Bona sunt. Hinc est, qvod Metaphysicis Nullum detur Malum physicum; Omnia enim DEUS, sui ipsius judicio, creavit valde Bona. Gen. I. 3. (5) Sint Aliqva Nobis Perniciosa, sunt tamen non semper, nec ex toto. Si qva Species Speciebus nocent, sunt tamen in communem aliquem usum: Serpentes, Erucæ, Papiliones è Terra, Aqva, Aëre vitiolas exsugunt qualitates, sive, dum Elementa purgant, Hominum Valetudinem juvant. Ipsi Venenata antidotum largiuntur, ut apud Medicos constat.

§. 5. Prohibitionis Qualitatem fistunt verba: *Qvisquis* humanum sanguinem effuderit: Hæc enim ut Objectum continent Ultionis, ita & Materiam Prohibitionis: Circum qvam notamus, eam non complecti Sangvinis humani effusionem absolute: Sic enim Scelerá inventirent impunitatem, patrocinium Superstítio; Qvippe eum Sangvinis Effusio hic non veriat in significatu qvocunque latiori, sed quo Homicidii genus privato motu occupatum designat. Nulla enim alias à Magistratu Ultio, minimum Capitalis, posset infligi, & justa simul cum injusta Vitæ Destructio damniaretur. Eaque ratione, nec ipse sibi Textus constaret, dum Effusionem Sangvinis in peccatum injuste effusi requirit. Aut An omnia Bella proclamabimus injusta, ut in quibus Sangvis effunditur. Qvam Superstitionem cum Tertulliano *de Idol.* c. 19. p. 289. & Lactant. *I. VI. Inst. Divin.* c. 20. p. 274. suam nunc faciunt Anabaptistæ, Weigeliani, Sociniani, Magistratui eadem injuria Jus Belli in injustum Hostem, qvod tempore Pacis in fontes obtinent, detrahentes. Ad qvos in Bellorum usu

usu damnando Joannes Ferus Concionator Moguntinensis & Erasmus Grotio accedere videntur proleg. in J. B. & P. de qvorum tamen Viro- rum dissensu judicium habes j. A. Osiand. Comm. in b. l. Grotii. Ut ut itaque prohibitio Effusionis non sit absoluta, sit tamen, in quantum Justitiae Divinae repugnat. Repugnat autem non Simpliciter, sed quatenus in Persona fundente Facultas Moralis deficit, in paciente nulla subest justa causa Mortem provocans: Enimvero Comminatio adjecta frustranea foret, si nulli Magistratum vindicandi data esset copia.

§. 6. Designatur itaque Vitæ interceptio (1) Violenta: Ea enim exprimitur tum per Sangvinem, qvi Sæpe Cœdem in Scriptura denotat, Gen. XXXVII. 26. Num. XXXV. 33. I. Sam. XXV. 26. tum per Effusionem, vid. Gen. XXXVII. 12. Deut. XIX. 10. & alibi. (2) Volunta- ria, qvando Interfector ad Cœdem directe concurrit, vel proxime, non tantum qva contactum physicum, sed & qva intentionem & influxum Moralem, qva Jussionem, qva Suationem, qva non - prohibitionem, si ad eam tenebatur, qva non - dissuasionem aut quamcunque non - impeditiōnem, ad qvam omnes tenentur; vel remotius & in causa, ex qva Mors alterius sequi probabiliter censetur, non nūquam actu, idqve frequentius, sequitur; ut qvi percutit, non præcisè occidendi, lœdendi tamen & vulnerandi animo, volens Homicidium committit: Causa enim Causæ est etiam Causa Causati. Casuale ex adverſo Homicidium, neqve in ſe, neqve in aliquā cauſa, ex qva vel ſemper vel freqventer accidere ſolet, intentum, ipſe DEUS à poena exceptit, qvando Asyla extriui jussit; (3) Quatenus ſub judicium humanum cadit: Qvanquam enim in qvinto præcepto latiffime ſe porrigat Homicidium, ita, ut ptohibeatur in Corde Odium Proximi, I. Job. III. 15. Ira temeraria, Matth. V. 22. Invidia, Rom. I. 29. Irritation, Iac. III. 4. Indolentia in Miseriis proximi, Am. VI. 5. Implacabilitas, Rom. I. 31. Vindicta desiderium, Ps. VI. 7. In verbis Amariſtudo, Proverb. I. 2. 5. Maledictio, Matth. I. 31. II. Sam. VI. 16. Contentio, Jurgium, Clamor, Gal. V. 10. Eph. IV. 31. Qverelæ inconſideratae & impatiētia injuriarum, Iac. V. 7. In Genu & Vultu signa, qvibus Malitia Cordis arguitur, Gen. IV. 6. Matth. XXVII. 39. Gal. IV. 29. In Factis Cædere proximum aut Corpus mutilare, Levit. XXIV. 20. Mortem cauſari vel telo vel veneno vel fame, Gen. IV. 8. Deut. XXV. 2. 3. II. Cor. XI. 24. Ludificandi animo cum damno alii

Lapsum procurare , *Levit. XIX. 14.* Imbecillis ac Afflictis injuriam facere , *Ex. XXII. 21.* per Gladii tamen Jus h. l. Magistratui indultum , hæc ipsa ultra non coërentur , qvam dijudicari per humanam scientiam , debitamqve inquisitionis industriam possunt : Sicut enim in Forum Humano Cogitationis pñnam Nemo luit , sic nec de Occultis Judex Humanus judicat . (4) Privata: Hinc Effusio Sangvinis altera alteri opponitur , ad denotandum , Publicam Magistratus esse licitam , & ut hæc justa & iusta est , ita illam prohiberi .

S. 7. Lubet Hobbes de Prohibitione hac philosophantem audire . Sic autem ille : Etenim precepto Non occides non omnis Occisio prohibetur . Nam , qui dixit , Non occides , idem dixit : Occidatur is , qui fecerit Opus in Sabbatho , *Ex. XXXV. 2.* Neque omnis Occisio causa inaudita ; Dixit enim : Occidat Uniusqve Fratrem & Amicum & Proximum suum , *Ex. XXXII. 27.* & occisa sunt 23000. Hominum . Neque omnis Occisio Hominis Innocentis ; Vovit enim Jepheth : Quicunque fuerit egressus eum Holocaustum offeram Domino , *Jud. XI. 31.* & Votum Ejus DEO acceptum est . Quid ergo prohibetur ? Hoc tantum , ne quis occidat quenquam , quem occidere , non sit ipsi Jus , i. e. Nemo occidat , nisi id facere suum sit . De Cive . c. XVI. §. X. At enim tametsi initium recte habeat , ast nec tolerari scopus , qvem præfixum sibi habet , potest , nec , qvæ falsa admisceret : Nam I. Ad surripiendam Privato Boni & Mali Dijudicationem , eandemqve Soli Civitati , i. e. summo Imperanti delegandam , hæc verba direxit ; qvæ ipsius mens , si argumento exponatur , dilucidius apparet : Cuicunque convenit Jus puniendi & occidendi , Eidem & competit Jus , Bonum & Malum , dijudicandi vel determinandi , in quo consistat Furtum , Stuprum , Homicidium , &c. Soli Civitati , &c. E. Heic in Majori Cuivis adverte licet , peccari à Dicto secundum qvid ad dictum simpliciter : Nam soli Magistratui convenient illa dijudicandi facultas , sc. quantisper cum autoritate puniendi connexa est . Qvo pacto aliis neganda est omnino . Probe ab invicem disjungenda Judicium Morale à Civili , Privatum à Publico , Discretivum à Definitivo . Illud Subditio & Parenti demere , est Eundem exuere obligatione & motu ad honestam naturali , & soluto , qvo primum omnium DEO adstrictus est vinculo , in solidum ab humano suspendere arbitratu . II. Ex. XXXII. non sit ultio publica ordinaria Magistratus , sed Extraordinaria per Fratrem , Amicum

Amicum & Proximum , qualis extra conditiones specialis DEI dispositionis locum non obtinet . III. Circa exemplum Filiae Jephthe errat , quando ipsum Votum Factumque acceptum DEO fuisse affirmat . At enim in Patre nec Votum , nec Voti exsolutio , probari potuit . Non in Patre Votum : Aut enim id determinatum fuit ad certum . Objectum nempe Hominem , aut ad quodcunq[ue] obvium : Hoc non est pr[et]er babil[ic]e , partim , quia non convenit cum Verbis Textus , qui Materia Voti describit per Egrediens extra Januas Domus , ubi quidem emphatice Mascul. ponitur , ad excludenda Bruta ; nec temere additur , extra Januas Domus , ut intra quam non Bruta recipi , sed Homines solent ; partim , quia non convenit cum Decreto Jephthe , ut qui omnino pro tanta victoria eximium quid ( quod Fortuitum & Brutum esse non potuit ) libare constituit . Posito autem , Ne tunc quidem peccato immunis erit : Satis tum enim prodidit neglectum DEI Legisque divinae , ut quia cautum , ne promiscue Animalia offerrentur , sed immunda mundis feceretur ; atque adeo Animalis , in sacrificium adhibendi Elecio reqvisita ; quam dum ipse non observavit , sed fortuito casui , ut per quem vel Canis vel aliud immundum Animal obtincte potuisset , materiam sacrificii reliquit , inconsulta utique Temeritatis reus judicatur . Illud autem cum ē Textu constet , eo est abominabilis : Nam ( 1 ) reus est Temeritatis , quia imprudenter DEO vovit incertum , quo de ante eventum constare ipsi non potuit , in sua an potestate futurum esset nec ne . ( 2 ) reus est Impietatis , quia contra expressam DEI legem , tum Homicidium in genere , tum mortationem & oblationem Hominis in sacrificium severissime prohibentem , nunquam Hominem offerri passam vel oblatum approbantem , aliquid decrevit , eoque major est impietas , quo plus illegalitatis continet , tum Innocentis cœdem , tum Hypocrisia aut Ejusdem ad cultum DEI destinationem . ( 3 ) Εὐθελογησιας ; cum beneplacitum & figmentum suum pro cultu DEO obtrusus . Non in Patre Voti Exsolutio probata : ( 1 ) quia illa fuit formaliter Occisio Hominis innocentis , ( 2 ) quia Votum in re illicita non obligat , & perinde ut , qui juramento illico stat , sic & , qui voto illico , bis peccat . Quanquam ne in Filia quidem consensum probare DEUS potuit : ( 1 ) quia Consensus rei illicita non est dandus . ( 2 ) Qui in immortalem sui mortem consentit , aut eam , in quantum potest , non fugient

ant



aut cavet, *duōχεις* est; Faciens enim & consentiens morali aestimatione tantundem sunt; Cum eadem utrinque sit intentio, par utrobius Voluntatis motio, idemque Decretum. Utque *duōχεις* est, non tantum, qui physice violentia sibi infert manus, sed &, qui, aut delorum exuberantia, aut vivendi tedium, alterum in necem sui precibus sollicitat; sic &, qui necem suam, ubi potest, non praecavet. (3) Inconsulti obsequii crimen est, cum Parenti magis obedivit ac DEO. Sicque, ex hac tenuis dictis, Nullo Modo Votum istud DEO fuisse acceptum, apparet. Et haec licet ex allatis rationibus tolerari non possint, possunt tamen in tantum Hobbii verba scopo nostro subservire, in quantum Privatam Occisionem publicae contradistinxerunt, & ut hanc Alicui, sic illam Nulli concedunt.

§. 8. Prohibitionis Necessitatem adstruunt (1) Justitia Divina, par pari referens. (2) Amor Vitæ Humanæ; Cui conservandæ totum quidem hunc orbem dedit DEUS, cuius tamen minus tutus esset usus, si Cuilibet Quidlibet liceret in Quemlibet. Quare communis securitati repetitione Legis hujus expressa prospicere voluit, ne corrupta Natura, quam tamen servatam cupiebat, in Invidiam, Invidia in Odium, Odium in Injuriam, Injuria in Cœdem denique emergent, neque sic Mortales invicem se consumerent. (3) Naturæ Humanæ corruptio: Licet enim Homini DEUS Legem eternam de non occidendo inscriperit, neque Inscriptio illa Effectu suo per Lapsum plane destituta sit, tamen contracta insimul in malum propensio, & operosisima Originalis Labis efficacia Noticias insitas ad tempus vel oblitterari vel non audiri facit, earundemque dictamen non admittit, ut Videns meliora deteriora tamen cum Medea sequatur, aut in λογισμῷ suorum vanitate confundatur. Rom. I. 21. Qvoniam hinc igitur plerique Corporis magis, quam Animi, & hujus Vitæ, quam Futuræ malis astuplicitis commoventur, & vehementius à male agendo deterrentur, idcirco DEUS poenam capitalem statuit adversus Homicidas (Perer. comm: in b. 1.) ut metu subsecutore statim poenæ à culpa detinerentur, & si non Odissent peccare Virtutis amore, Odissent peccare tamen formidiae poenæ. (4) Summa Homicidii illegalitas: *Jus enim alteri eripitur, non tantum, quod ipsius est, sed, in quod ne ipse quidem plenam facultatem habet, verum supremi nostri omnium Domini est.* Præterea simul hoc jure omnia alia coruademque exercitia auferuntur. Beccm. Lin. Moral.

*Mom. c. XVI. §. XI.* qvin, ut Textus monet, *Imago DEI destruitur*, adeoqve enormoussum læsa Majestatis, omnium eminentissimæ, crimen committitur. Neque DEUS, nisi atrocissimum esset peccatum, Sangvinis profusionem de manu cunctarum bestiarum, alias quidem poenæ incapacium, requisivisset v. s. Conf. Ex. XXI. 29. (5) *Civilis Conversationis*, quam post lapsum conservatam volebat DEUS, ratio: *Enimvero, consistere ea non potest, ubi alter ab altero necem metuit, alter alteri minatur, aut dum alter alterius perniciem cogitat.* Qvo ergo DEUS alterius metum, alterius ferociam corrigeret, expressa prohibitione Homicidia cavit, ne coedium licentia torum statum humana in periculum adduceret. Qapropter hanc Legem Nervum Imperiorum & Humanæ Societatis appellat Phil. Chron. l. I. p. m. v. 20.

§. 9. Cum vero hac Lege mutuum DELIS metum sustulerit, nec dici potest, mutuum metum Societatum potius originem promovisse, ac mutuam benevolentiam. Qvam enim hujus monstræ sententiæ Parens atque Patronus Hobbes. de Civ. c. I. §. II. protestetur, se hac voce futuri Mali propositum quemlibet comprehendere; neque solam fugam, sed etiam Diffidere, Suspici, Cavere, ne metuant providere, Meruentium esse judicare; ipsum tamen Judicium suum fallit: Nam (1) sic Metus cum Prudentia confunditur. (2) Nec ea tam ratione Metus ad societatem ineundam qvid conferet: Ubi enim Fuga, Diffidea, Suspicio, qvæ illic consensio, qvæ conjunctio? (3) Posito, Metum dare occasionem ad Societatem, fieret tamen non nisi per Accidens, citra omnem veræ causalitatis rationem; Cum interim tamen vera dentur Causæ, Effectum attingentes, nempe Consensio ut Causa Proxima, Benevolentia ut Intermedia, Ordinatio Divina, ut Remotior & Suprema. (4) Ipse ex Consensione Civitatem nasci concedit.

§. 10. Verum hujus sententiæ falsitatem vel ex ipso, qvod sub sternit, fundamento deprehendes. Est illud STATUS NATURALIS, de quo §. X. hæc habet: *Natum dedit unicuique Jus in omnia;* & §. XII. ait, *Statum Hominum Naturalem, antequam in Societatem co- retur, Bellum fuisse, neque hoc simpliciter, sed Bellum Omnis in Omnes, idq; sempiternum.* Qvæ quidem qvomodo dicto nostro, Rectæ Rationi, & genuino Naturæ Juri conciliari possint, non liquet.



Quare necessari erit, ut tum dicto nolito, tum ratione hanc Macht-  
nam diruamus, quo, quod superstructum est, totum sponte ruat:  
(1) In ipsum Supremum Numen injurias est; Cui quidem per Atheis-  
ticum suum statum, quantum in se est, tum Dominium, tum Curam  
detrahit; Cum tamen utrumque tum hec sibi vindicet, tum statim ab  
Orbe condito sibi vindicarit, adeoque omne statui naturali & spatium  
& locum praeloscerit (2) Hic DEUS Effusionem Sanguinis Humani  
improbat, quam tamen Hobbes in statu naturali approbat. (3) Hic Jus  
illud omnium in omnia in totum destruitur, dum DEUS Homini non  
nisi limitatum Dominium concedit, neque id ipsum extendit ad Vi-  
tam, Fratrem & Socium Hominem, ut in quem soli sibi Jus superiori-  
tatis reservavit. (4) Ad structae hec Hominis, ad Imaginem DEI con-  
diti, dignitati detrahit, dum Hominem fingit, velut Curt. I. VIII. c. 2.  
feram Belliam, viventem in solitudine, terrentem alias, alias timen-  
tem. (5) Omnes Hominis Notitias Institas, Juris Naturalis dictatri-  
ces, eripit, nullasque de vitandis Furtis, Stupris, Homicidiis relinqvit.  
Si enim Unicuique Jus in omnia, E & in omnium bona, corpora, Vi-  
tam. (6) Latet Atheus in herba: Jus enim Naturae & Mutabile, & si-  
bi contrarium & vanum facit; Mutabile: Cum aliud in Statu Natura-  
li, aliud in Sociali obtinere velit, & in illo licere omnia, non perinde in  
hoc. Expressis verbis verbis hanc suam impietatem prodit. c. XIV. §. IX.  
*In Statu Naturae primo nihil alienum erat, & proinde, Alienum invadere,*  
*impossibile: Deinde omnia Communia erant, quare & Concubitus omnes*  
*liceti. Tertio status belli erat, ideoque licitum occidere.* Quarto Omnia  
proprio cuiusque judicio definita erant, ideoque Honores etiam paternos.  
Postremo nulla judicia publica erant. Quae vero omnia hodie jure  
Naturae sunt prohibita & determinata, adeoque concedat necessarium  
est, subiisse Jus Naturae Mutationem. Sibi contrarium: Id enim  
quod perpetuum cum Honesto habet repugnantiam, ut Homicidia,  
Furta &c. Jure Naturae in Statu Naturali vult concessa & licita, quod  
implicat. Vanum: quia illud in opinione locat, quando nudo faci-  
onis judicio, id quod sit, jure fieri vel injuria assertur. §. X. Gemina  
habet. c. VIII. §. I. In statu naturali, propter Bellum omnium in omnes  
subjugare vel etiam occidere Homines, cuique licitum est, quoties id suo  
bono conducere videbitur.

§. II. Comminatio continetur in illis verbis: In Homine  
(per

(per Hominem) sanguis ejus effundetur. Cujus notarium  
(1) Naturalem Legalitatem. (2) Latitudinem s. Exten-  
sionem. (3) Executionem.

S. 12. Naturalis Comminationis Legalitas patet (1) ex  
inscripta Legis Naturalis Notitia, & inde resultante Conscientia dicta-  
mine: Quandocumque enim quis Innocentis sanguine manum imbuat,  
scelere patrato non civescit, sed poenam, quam Conscientia minatur,  
metuit, quin quam sapissime tanta Conscientia verbera experitur,  
qua vel sola in poenam sufficient, omnique suppicio, quod in illorum  
medicinam nonnunquam expetitur, sunt intolerabiliora, quando  
idem, qui reus, ulro comparet & Auctor, quo efficacissime sollicitant  
Conscientia satisficiat. Quale judicium, quo cruciatus quicunque exte-  
riores, licet exquisitissimi, suppicio Lictoris interno tamen leviores  
existimantur, quanquam quicunque facinorosum comitetur, ast  
maxime in Homicida conspicitur, qui, si quando Gladium secularem  
effugerit, sapius tamen, ne in supplicium ipse sibi superesset, Judici  
sponte se fitit, et tum reciprocum Sangvinis effusionem promovens,  
tum Comminationis hujus severissimam exactissimam ad delictum con-  
gruentiam vivo exemplo edocens. e. g. Cainus vagus erat & pro-  
fugis, neque cum agris securitatem pepulisset, intra mania securus,  
licet vi comminationis divinae, reciprocum cædem interminantis (non  
ex gratia, sed ut esset in exemplum) Signique superadditi, esset tutus.  
Ipse meritum faretur: Et erit, quisquis Me invenerit, occidet. Gen.  
IV. 14. Ut ut itaque Poena temporalis ipsi metuenda non erat, Consci-  
entia tamen significatam hac comminatione poenam promeruisse indi-  
cabit. (2) E Rom. I. 32. ubi Apostolus, postquam, horrenda Gen-  
tilium delicta enarrans, ea inter retulisset, quod sint *peccati* *offenses*  
v. 29. contra Eosdem adducit, quod, quum DEI justitiam noverint,  
nempe quod ii, qui talia faciunt, digni sint morte; tamen fecerint.  
Hinc arg. cum TT. Lipsiensibus in Resp. B. Moller's Theologischen  
Bedenken vom Todschlag und dessen Bestrafung/ annexa Resp. ad  
qva. 3. p. 34. Poena, quam Gentiles è Lumine Natura, tanquam diabol-  
orum 13. Osse cognoverunt, non est Legis Forensis, sed Naturalis & na-  
turaliter habet Legalitatem, Poena, qua Homicida dignus est morie-  
tur, quaque comminatione hac exprimitur, est talis E. it. Qc. Justitia è  
Lumine Natura cognoscitur, illa est Justitia DEI Naturalis ac Immu-  
abilis.

tabilis, atqvi Justitia DEI vindicativa cædis humanæ per sanguinem  
occisoris est talis, E. (3) E congruentia ad Jus Talionis, cui qvico-  
qvad congruit, naturale est, cum Lege æterna conspirat, & hinc nul-  
libi non in Lege Forensi observatum, populoque Israëlitico expresse  
præscriptum. Qvo spectant verba Danhauer. *Jus amabeum ieronum*  
*suum collocavit in πλάκας Μωσέως, in Conscientie secretum, in iure*  
*Gentium; Jus sine dubio iustum, eternum, recte rationi consentaneum,*  
*non ex induitu divino, quo summus Legislator ingenio populi Israëlitici*  
*puerili & vindictæ cupido gratificaretur* (ut Smaltz. Disp. VII. contr.  
Frantz.) sed in *Justitiae intimis visceribus venusque natum, Naturæ impres-*  
*suum, inter Gentes fœtum & adulterum, &c. Hodosoph. Phæn. VIII. hy-*  
*pom. (L.) p. 484.* Hinc argum. Qc. congruit ad Jus Talionis, Poenam  
Delicto proportionatam exigens, illud congruit cum Lege Naturæ,  
Effusio Sangvinis pro Sangvine &c. E. Poena heic enim Delicto propor-  
natur, non secus, ac in hujus Juris praxi Instrumenta Instrumentis, Da-  
mna Damnis, Tempore Temporibus, Mensuras Mensuris, adeqvata legi-  
mus. Conf. Danhauer. I. e. Cæterum Jus Talionis non est privatum, nec  
per id cuicunque Privato Homicidam vicissim occidere licuit, qvæ  
mens est Grot. ad b. I. comm. Judicia namqve eadem cum Societate  
humana primordia habere, ut §. 19. probabitur. (4) E praxi  
divina; Qvippe cum Majestas divina infinita offensa, salva Justitia  
ipsius æterna, non nisi infinita retaliatione placari & voluit, & potuit.  
Hinc delinqventibus Spiritibus & Hominibus æternum supplicium  
dictatum, qvod quoqve in Improbis peragetur, & in omnibus Homini-  
bus, ut in Angelis malis, exequendum fuisset, ni Infinita Deitatis  
Personæ, tum infinitam exhibendo obœdientiam, tum infinitam per-  
petiendo poenam, pro omnibus sustinuisse. Arg. Qc. Jus DEUS  
ipie ad reconciliationem sui necessarium duxit, illud æternum est &  
naturale, Talionis Jus. &c. E. (5) E significantia voc. בְּ qvod  
non tantum Sanginem, sed & Reatum Sanginis notat. Reatus  
autem infert obligationem ad poenam. Hinc Abelis Sangvini Vox  
tribuitur Gen. IV. 10. qva Vindictam poposcerit. Huc autem male-  
illorum reflectit Supersticio, qvi Sangvinis ebullitionem è corpore  
occisi cum presentia Homicidæ connectunt, ut Effectum cum Causa.  
Præterquam enim, qvod Sufficientem connexionis modum s. Causa-  
litatis rationem, dare nequeunt, periculosam & nullibi divinitus præ-  
scriptam

scriptam inquirendi methodum arripiunt; Cum si naturalem fluxus  
Causam supponamus, qualem supponunt, Contiguus erit Simultaneus  
accessus occisoris, & Fluxus Sangvinis occisi, at qui absente Homi-  
cida tamen non raro contigit. *Quanquam J. A. Osiand.* hoc san-  
gvinis effluium non plane esse negligendum, nec tamen nimium Ei tribu-  
endum, statuat. Posse enim quandoque Deo intercedere, quod supina  
animi securitate & incuria non concemendum, sed, si alia concurrent  
indicia, iis à Judice, pro prudentia ipsius, sit conferendum. *Tb. Monst.*  
*part. 2. precept. 1. qv. 60. p. 991.* Sufficit Nobis, inuste fusum San-  
gvinem ex natura sua reatum secum ferre, quo ad supplicium Effun-  
dens juste provocatur. Unde fit, ut, qui angustiori sunt conscienc-  
tia, & infimo, dubioque judicio, ut Fœminæ, Pueri, ad conspectum  
occisi horreant, quandoque animo linquantur, quin alii promiscue ad  
conspectum Sangvinis. Bruta itidem Odore Sangvinis exacerbari,  
atque vel in furorem concitari experimur. (6) E repugnantia cum  
Innocentia Naturali, per quam DEUS unumq;emque juris sibi com-  
petentis esse cupiebat; Qvæ cum & per Furtum, & minimam damni  
illationem violetur, eo gravius per Cædem affligitur, qvæ alia pec-  
cata superat: *Nam reliqua exstant tantum Fontium rivulos, con-*  
*vellunt edificiorum parietes, &c.* At Homicidium Fontem, Fundamenta,  
Radices petit, &c. ipsam viram invadit, ut ex Non-nemine loquitur *J. A.*  
*Osiand.* *Tb. Monst. precepr. 5. p. 1255. Conf. spr. §. 8.* Qvo itaq;e  
DEUS & Naturæ Ordinem integrum, & Innocentiam sartam testam-  
que servaret, noluit, vi aterenæ sua Legis, Nocentem esse impunem.

§. 13. Latitudo. Extensio consideratur (1) respectu  
Subjecti punibilis. (2) In relatione ad Meritum s. Deli-  
ctum. (3) In quantitate Pœnæ.

§. 14. Subjectum punibile, propriæ dictum, in quod Pœna, for-  
maliter talis, cädit, est Solus Homo, ut qui solus peccat, quia solus  
rationem habet. Passio quidem Dolorifica ad Bruta extenditur, sed  
ea Materiale tantum Pœna est, eo fine dictata, (1) ut Homines man-  
fvescere discerent, atq;e scelus, & in Brutis abominabile eo magis  
detestarentur, cum intelligerent, DEUM Agenti physico hoc in passu  
adeo succensere. (2) Ut Hominis damnum, deleto nocivo animali,  
eaveret. Unde apertum specialis DEL erga Hominem Providentia  
documentum haurimus, dum exq; appareat benignissima, quod cum

toto simul Orbe & Bruta in Esum atque usum concederit, Hominem, vero contra violentos illorum insultus præmuniérit. Qvare mirum est, eo absurditatis prolabi Hobbesium potuisse, ut reciprocum Brutorum & Hominis Jus assereret. Hæc enim verba Ejus sunt de Civ. c. VIII. §. X. Dominium in Bestias originem habet à Jure Naturæ, non à jure divino positivo: Nam si non extitisset tale Jus ante promulgationem Scripture S. nemo jure potuisset Bestias ad cibum jugulare, durissima sane Hominum conditione, quos Bestie devorare sine injuria possent, illi Bestias non possent. Siquidem E. à Jure Naturali sit, quod Bestia Hominem occidat, ab eodem jure erit, quod Homo jugulet Bestiam. Quod cum ne quidem Conclusum in totum probemus, eo tamen magis rationem improbamus, quo minus per alia Aut., & quæ recte se habent, asserta constat. Nam c. II. §. XII. negat Brutis tribui jus posse, dum sic habet; Pacisci cum Belliis non posse, neque Jus illis tribui aut auferri, propter defectum Sermonis & intellectus. En, qui illic Jus, quod hic concedit, demat! Si tribui Jus nequit. E. Nec Naturale, quod aeternum, & Santitatis ac Justitiae in DEO expressio quædam est, ad quam Naturam Intellectualem, & speciali modo, Hominem conformem creavit; Hincque ut non Intellectualitatem, ita nec Juris capacitem alii Creaturis communicavit. Si illic negat Jus, qui sit, quod hic Injuriam adscribat. Pœnæ capacia non sunt E. nec Injuriae.

§. 15. Relatio comminationis ad delictum universalis est: (1) Qvisquis caim humanum sanguinem effuderit, Ejus Sangvis effundetur. (2) Jus Naturæ, ubi delictum est, pœnam poscit, & ubi capitaliter, capitalem. Hinc apparet, ad Crimen Homicidi caute vocandum Jus aggratiandi: Qyanquam enim in Constitutione pœnali Hominum Summo Imperanti relinqvatur, ut vel pœnam plane remittere, vel capitalem in aliud supplicii genus convertere queat, tamen, ubi tum Jus Naturæ violatur, tum expresse à DEO pœna dictatur, non temere aut facile Magistratui Summo gratia locus est relinqvendus. Ad quid enim severe adeo Judicibus propontit Josaphat; Non hominibus, sed DEO, qui Personas non respiciat, haberi judicia II. Chron. XIX. 7. seqq. Ad quid Paulus impium terret ac metaendum ipsi gladium, quem Magistratus gerit, affirmat Rom. XIII. vid. si placet, plura in Tb. Ges. J. A. Osland.

de

*de Leg. Mor. p. 1304.* neque vero inferior Constitutioni Superioris derogare sufficit.

§. 16. Quantitas poenæ extenditur ad vitam, adeo, ut qui alteri vitam eripuit, vita luat: Cum enim Sangyinis effusio violentum Mortis genus notet (ut supra §. 6. probatum) violenta morte reum puniri oportet: Cum sit de ratione Poenæ in genere, ut violenta sit, & invito inferatur, adeoque & de ratione poenæ capitalis. Ut adeo frustra sit, Socinistas pro negatione Poenæ capitalis heic excipere, Non esse Mandatum Magistrati datum, sed prædictionem tantum poenæ, immediate à DEO infligendæ: Requiram sanguinem animatum vestrum, &c. Sed (1) Textum divellunt; Conferant sequentia, & intelligent, Requisitionem illam non esse Immediatam, sed Mediata per Hominem.. (2) Si esset prædictio, falleret; Eventus enim sæpe non sequitur.. Ex quo apparet, non esse sermonem de Eventu, sed præceptum de Homicide merito, quod Mortem meruerit, ut at actu non experiatur.. (3) Verba illa, Effundetur Sanguis Homicidæ per Hominem præceptiva sunt, non prædictiva.. Qvod excipiunt, Magistratus sanguinem reciproce effundendum fore, puerile est: cum, Justam & Injustam Effusionem sibi contradistingvi, & non nisi justam esse posse Effusionem, qvæ in poenam alterius divinitus subordinatur, vel qvilibet intelligat.

§. 17. Executio sit per Hominem. Sunt, qvi בָּאֵרֶת ad precedentia referunt, & sensum hic variorqvænt. Tostatus phrase illa significari puzt Strangulationem, Suffocationem aut Venenum, nimurum Mortis genus, quo sanguis non effunditur, sed intus manet. Enim vero, sic (1) esset Effusio sine Effusione; Qvicunque enim Sanguis intus manet, non effunditur. (2) Ignota ea est Scripturæ phraseologia, qva Effusio sanguinis in Homine pro strangulatione vel suffocatione accipitur. (3) Seqveretur, dictatam iis tantum Homicidis heic esse poenam, qvi ejusmodi cædis genere se contaminarent, non omni, Qvod forte Hieronymus ab Oleastro sibi obstat sentit, quando alteram explicationem, qva בְּנֵי ad Modum & Instrumentum ultoris referatur, alteri sua, qva illum notari vult, qui fedarit Hominem Sanguinem suo, occidendo ipsum, prefert. (4) DEUS eadem ratione sanguinem de manu Viri Fratri ac de Manu Bestiarum, se requisitorum minatur vers. præced. ubi idem delinqvendi modus exterior intimatur. Recilius Hebrewi



Hebrai omne genus cædis humana bis verbis veritatum demonstrant. Primo cum dicitur; Fundens Sangvinem Hominis, per Hominem Sangvis Ejus fundetur; hoc, inquit, de Eo intelligitur, qui Hominem occidit per se ipsum, non per alium, ad id subordinatum. Illud: Veruntamen Sangvinem Animarum Vestiarum requiram; ajunt, dici de Eo, qui Sibi ipse mortem concivit. Illud porro: De Manu omnis animantis requiram Sangvinem Hominis; intelligi debet de Eo, qui Proximum suum Bestia dilaniandum obicit. D-nique illud: De manu Hominis, de Manu Viri Fratris sui requiram Animam Hominis; intelligendum est de Eo, qui conducit alios Homines ad occidendum Hominem, vid. Perer. comment. in b. l. qvanquam nec hæc omnino nostra faciamus. Cajetanus (referente Perer. l. c.) בַּאֲרָבָן explicat in Hominem, i. e. in injuriam Hominis, quo excludantur, ut Ei videtur, tum Animalia irrationalia, ut Legis hujus pœnalis incapacia, & de quibus jam ante sit memoratum, queque non occidant in injuriam Hominis; tum Occiso justa judicialis, cum nec illa sit in injuriam, sed in Vindictam & Bonum publicum; Qvæ expostio licet nec absurdâ sit, nec falsa, violenta tamen est, & constructioni ac connexioni repugnans. Grotius comm. in b. l. itidem ad præcedentia & subjectum refert, & duo heic vult exprimi, nempe Punendum esse & Eum, qui Homicidium manu sua perpetravit, & Eum, qui mandat. Sed posito, בְּנֵי נְאָר ad præcedentia pertinere, nec tum tamen obtinebit: Sequeretur enim, solum esse puniendum, qui mandat, non simul qui perpetravit Homicidium. Ita se enim Textus habet; qui sanguinem effundi jussit, qvod absurdum.

§. 18. Iis, qui ita Textum dilacerant, convellunt, opponimus (1) Accentum distinctivum (:) Incisum majus innuentem (2) paraphrases Onckelos & Jonathan, ad Testes referentes, tum, quo cædis testimonium prohibeant, tum, quo juxta morem Hebræorum, Executionem pœnæ juvent, qvod in Lapidatione obtinuit Act. VII. 58. 59.

§. 19. Fit itaque Executio per Hominem, sed non Qvemcunque: (1) Sic enim DEUS non esset DEUS ordinis. (2) Judicia, jam tum erant constituta, utut secus videatur Grot. comm. in b. l. Constat enim (a) è Dominio concessio Adamo, non tantum in Brutis, sed & in sociam Uxorem, qvam Voluntati Viri subesse DEUS jussit Gen. III. 6. Domini autem axioma est judicandi potestas: Cum qvi subiectus sit, qva Voluntatem, & subjectus sit qva intellectum, in qvan-

tum

rum uterque subjectionem patitur. (3) E. Societatum institutione, qvæ citra ordinem Superiorum & Inferiorum oriri non potuit. Hinc omnino in Cainum advertere potuisset Adam, n̄ DEO aliud visum, ut superesset in vivum exemplum. Et mirum, qvi adeo miram politiam eruditissimus sibi formet Politicus. (4) E. natura corruptione, ex qva plurimorum judicia hebescere, Decreta & Facta Lege deflectere cœperunt. Unde, ne plane politiam confunderent, potestatis publicæ Eos subdi oportebat, qva, qvi infirmo essent judicio, Lege, qvi apertam proderent petulantiam, Vi & Metu ad officium redigerentur. Supposita itaque Hominum malitia, Judicia publica, vi coactiva & punitiva instructa, omnino fuere necessaria. (5) Generatione Parentibus Jus acquiritur in Liberos, juxta Grot. I. II. J. B. & P. c. V. §. 1. Si itaque Jus & Dominium Parentum, utpote naturale, initio obtinuit, simultaneam & Judicia originem habebunt. Nos ex nostra hypothesi rectius inferimus: Dominium parentale ab initio per divinam communicationem fuit concessum. E. & potestas judicialis, per qvam Judicia fuere penes Parentes, qvi, si sceleris atrocitas exposceret, & Capite Liberos jure plecterent, constitutis nondum solennibus juxta Legem forensem judiciis. (6) Gratificari videtur & suis Socinianis, & suæ hypothesi. Illis, quando Capitalem Poenam in N. T. tollere, eamque ad solam politiam Judaicam restringere cupiunt, dummodo ex parte adhinniat. Poenas Capitales Sontibus ante expresse repetitam Legis hujus poenalis mentionem, non decretas esse, afferendo; Cum qva sublationem Earundem in N. T. consentire nequeat per argg. sua I. l. de J. B. & P. c. II. §. V. Hypothesi suæ, qva Jus puniendi naturaliter penes unumqvmque esse docet I. II. J. B. & P. c. XX. §. IX. Sic, Ultionem privatam ante Judicia constituta sumi licite potuisse sub innuens.

S. 20. Qvare, cum, qvæ ab isita societate constituta fuerunt judicia, heic confirmentur, Comminationis poenalis Executio non per qvemcunqve Privatum fieri debuit, sed ordinarie per Personam (1) Certam: Eo namqve sic dicitur, non, per Homines, sed, per Hominem, qvo determinata huic negotio Persona eligatur! (2) Publicam; Talem officio exigente; Cum publica Effusio private autoritatis administrationi subesse nequeat. (3) Eminentem: Cum ad arduum ejusmodi officium non Cujuscunqve farinæ Homo sufficiat, sed Cujus

meliori de luto finxit præcordia Titan. Scilicet, participare aliquantulum de Majestate Divina oportebat, & eminentia gradu proximus præ reliquis DEUM attingere, Cui DEI vices in terra gerere commissum erat; Nam ad Quos pertinet, DEI officium in Terris gerere i.e. Bonos tneri, Malos uelisci, illi DEO in hoc lertio quam proxime accedunt. Hinc ipsi Spiritui S. honorario DEORUM terrestrium titulo Magistratum inactare placuit, Psalm. LXXXII. 16. & Rom. XIII. talia Magistratui axiomata, quæ alibi soli sibi ex parte DEUS vindicat, tributa repeties. DEI ordinatio, Ministræ DEI, Ultrix in poenam vers. 4. audit. Ad quod Potentia & Metus, vers. 2. adscribitur; Ejusdem Leges in Conscientia obligare voluit vers. 5. Inobedientiam erga Eundem sibi probrosam dicit DEUS. vers. 2.

§. 21. Extraordinarie fit Executio etiam per Privatum, non tamen quæ Privatum, sed quatenus in casu necessitatis, executionem comminationis divinæ præsentissimam exigente, est Persona DEO proxima: Cum enim DEUS Homicidia impune abire prohibeat, & cuique per Naturam Vitæ sua tutela sit commissa, Quisque in extremo necessitatis articulo, deficiente Judiciorum copia & apparatu, culpa vel loci, vel temporis, aditus moram excludentis, Ipsum se Ministrum DEI, & Ultorem Εἰς ὁγύην τῷ τῷ κακὸν πρέσβοτον, interim constitutum sciat, e.g. Si Cujus Socium Latro invadat, Alter Latronem, quem Vivum capere non potest, præverttere telo potest, & ad tuendam Socii vitam eo casu tenetur. Quo magis Invasorem occidere licet, & mortem suam illius interitu declinare: Ut ut enim Sangvinem nondum effuderit, animum tamen effundendi habet; Quisque autem se defendere tenetur. Quæ defensione si neque ordinatio Magistratus auxilio, neque fuga potiri potest, licite ad interitum, violenti Invasoris pergit, vim vi repellens. Nec ea tamen Poena simpliciter privata dici meretur: Cum implere vicem Magistratus absentis credatur; Et Poena privata, proprie dicta, in civili ordine non detur, sed omnis Poena Jus puniendi & imperium præsupponat.

§. 22. Quare frivolum est, Jus puniendi à privato suspendere arbitrio, id quod facit Hobbes. de Civ. c. XVI. §. XV. Institutione Regni DEI Sacerdotali et si pena statuta fuerint, & Magistratus, qui iudicarent; Jus tamen penas sumendi dependebat ab arbitrio privato. Et penes dissolutam multitudinem & singulos erat, punire vel non punire,

prost

prout à privato zelo excitarentur. Ideoque Moses imperio proprio morte  
multauit Neminem, sed, quando interficiendus Aliquis esset, Unus vel Plus  
res, in Eum vel Eos ( autoritate Divina, dicensque, sic dicit Dominus )  
multitudinem concitavit. Erat autem conforme hoc Natura Regni DEI  
peculiaris; Ibi enim vere regnat DEUS, ubi Legibus non Hominum, sed  
DEI meru, obeditur. Sed (1) in dict. Jus puniendi ————— determinata Personæ, non Multitudini, defertur. (2) Regnum à tem-  
pore Mosis nec pure fuit Sacerdotale, nec pure Politicum, sed singu-  
larissima quæpiam Theocracia, qua Summus Rex Regum Majestatem,  
sibi regiam reservavit, Personasque certas, liberrimo electas arbitrio,  
nunc Ecclesiasticam, ut Samuelem, Eli, nunc Politicam, Baracum,  
Simsonem, &c. tanquam Vice - Reges subordinavit, quibus tamen  
regia uti pompa non permisit: vid. Smid. Comm. in L. Jud. proleg. qu.  
IV. (3) Posito, Regnum pure Sacerdotale obtinuisse, non minus ta-  
men convenit, & in cæteris regnis obediare DEO, non tam metu Ho-  
minum, quam ipsius DEI: Cum cuicunque Magistrati in conscientia  
obligemur, Rom. XIII. 15. præterea quoscunque Bonos deceat, odisse  
peccare Virtutis amore. (4) Esto, non metuerint pro Natura regni  
illius peculiaris, poenam Magistratus, tamen priyatim Zelum, ad  
Vindictam singulos excitantem, mettere potuerunt. (5) Falsum,  
Mosen imperio proprio morte multasse Neminem: (a) Aut enim  
denegat Mosi imperium proprium respectu DEI, aut respectu disso-  
lutæ Multitudinis. Si illud, non repugnamus: Cum imperium non  
ex se habuerit, sed dependenter à DEO, ipseque Hobbes Autoritatem  
divinam ad concitandam Multitudinem Ei relinqvat. Si hoc; Sup-  
ponit, DEUM sub institutione regni Sacerdotalis Jus Punjendi Mul-  
titudini vel immediate contulisse, vel nudam facultatem, interventu  
autoritatis Mosis dirigendam, concessisse. Hoc mitius pronunciaret:  
verum, non sine verborum pugna: Sic enim Multitudo Mosis impe-  
rio, minimum Judicio usa fuisset, adeoque Imperium & Jus puniendi  
Mosi mansisset proprium, nec Moses puniisset alieno imperio, sed  
Multitudo imperio Mosi proprio. Illud probare nequit, si ipse Sibi  
constare velit: Ad quid enim Autoritas divina per Mosen esset signi-  
ficanda jam tūm puniendi jure instractis? Aut, numne ad quæcunque  
particularēm juris exercendi autem speciali autoritatis divinæ signifi-  
catione opus erit, ubi de concesso jure, adeoque & licito Juris exerci-

tio constat? Ea pacto sequeretur, superesse dissolutæ multitudini Imperium, qvo sine Jus puniendi exerceri nequit, ut adeo hoc illud necessario præsupponat; Verum, sic implicat; Cum ubi Multitudo dissoluta, ibi nullum sit imperium. (β) Plane contrarium apparet ex Ex. II. ii. 12. Si enim Moses jam tum, qvo incipiebat Magnus esse, Heroico Spiritu concitatus, Afflicti Injuriam poena capitali infligentis ultus, multo magis progressu officii Judicialis, ubi Imperii habenæ divinitus in manus traditæ, vi imperii illius, divinitus appropriati, penas à Sontibus exegit. (γ) An putamus, in Institutione illa Magistratum inferiorum, consilio Jethronis adornata, Ex. XVIII. 21. 24. 25. omissos fuisse Executores, ad ministerium poenæ, autoritative à Mose dictata, paratos? (δ) Posito, Mosen non multasse imperio proprio, neque tamen punivit imperio Multitudinis, sed DEI. Si hoc; Poena non dependit ab arbitrio privato, sed DEI, quod omuium maxime publicum. (ε) Respiceret videtur ad Lapidationem, qva quidem per Multitudinem fiebat, sed non dissolutam, verum ordinatam, ubi Testes primum injiciebant Lapidem, nec ex privato arbitrio, sed sententia Judicis. Adeoque nec hinc Dissolutæ Multitudinis Jus poenas exigendi probare potest. (ζ) Aperte Scripturæ contravenit, Privatum Zelum, privatamqve Vindictæ cupiditatem detestanti, solique DEO Zelum, Ex. XII. 5. Deut. V. 9. & vindictam, Deut. XXXII. 35. Rom. XII. 19. Hebr. X. 30. vindicant. (η) Bene constitutæ Reipublicæ facies non permittit: Et nichil, si privatius singulorum Zelus introducatur, de Omnibus actum erit: Qvis enim adeo felix, qvi placeat Omnibus? Itaque non leviter periculis expositus, dum uni displicerit, displicebit omnibus. Qvot non ori- rentur seditiones, si non tantum Cuivis privato indulgere Zelo licet, & Zelus is impunis esset, sed & sub prætextu poenæ speciem recti sibi pararet. Novimus, qvam in modernis Rebus publicis speciosus defendenda Libertatis titulus Plebi arma ministrari. Hoc eo plus virium Malum sumisset, qvo largior prætextus erat. Verbo: Periculosa, scandalosa fuisse Tumultuaria illa Puniendi Methodus. (η) Si jam tum poenæ statutæ, non promiscuo Multitudinis arbitratui reliqæ fuerunt. Si, qvi judicarent, Magistratus futere, fuere & iidem, qvi puniverant: Ad qvid enim Jus Judicandi & Puniendi seqvestramus, & illud quidem Publicum, hoc Privatum censemus?

§. 23. Utri-

§. 23. Utriusque ratio est: quia in Imagine DEI fecit  
Hominem. Advertimus heic (1) Vocem. (2) Rem.

§. 24. Vox est קֶלֶל / qvæ jam habetur Gen. I. 26. 27. &  
cum voc. קְרָבַת conjungitur, ad idem efficacius significandum,  
pro more Hebræorum, duorum Substantivorum alteri Adjectivi vices  
per evduadū attribuentium, ut Jer. XXIX. II. In sensu enim Biblico  
rum Vet. tum Nov. Test. diversa non sunt Imago & Similitudo,  
sed idem ac Imago Simillima, ut adeo posterius voc. sit prioris exe-  
gericum: Namqve qvæ vocab. Gen. I. 26. combinantur, separatim  
alibi reperiuntur, vel solum צְלָם ut v. 27. vel solum רְמָם  
Gen. V. I. adeoque promiscue adhibentur. In nostro loco solum צְלָם  
iterum prosta: Pariter, ut in N. T. promiscue εἰκὼν I. Cor. XI. 7.  
XV. 49. Col. III. 7. & ὁμοίωσις Iac. III. 9. dicitur. Est itaqve  
צְלָם אלְהִים Imago DEI non Substantialis s. Essentialis, qvæ  
est solus Filius DEI II. Cor. IV. 4. Col. I. 15. Ebr. I. 3. Nam (1)  
sic ratio non sufficeret prohibendis Homicidiis, sed solus Filius DEI  
hac lege esset inviolabilis. (2) Filius est Imago DEI non per Crea-  
tionem in tempore, sed per Generationem ab æterno. (3) Alias  
commodius diceretur וְהַזְלָל: Cum Filius & in participa-  
tionem nominis divini essentialis veniat, in quam Homo non venit:  
Perinde enim ut per Generationem æternam Essentiam habet à Patre  
independenter, habebit & per eandem perpetuam Essentiam divinæ  
notam, nomen incommunicabile וְהַזְלָל. Sed Imago est acci-  
dentalis & qualitativa, Homini Innocenti per Naturam, Rege-  
nito per Gratiam inexistentis, referens certam pro diversitate status  
Justitiae & Sanctitatis nostræ cu[m] Divina similitudinem. Probatur:  
quia est concreata; DEUS in Imagine sua fecit (צְלָם) Hominem.  
Porro voc. Imaginis hic non accipitur μερικῶς, vel pro sola Justitia  
originali, principaliori Ejus parte, prout in renatis instaurata: Sic  
enim Prohibitio Homicidii non foret universalis, sed impune Irrege-  
nitici gererentur. Vel pro solis reliquiis, adhucdum in Homine per-  
lapsum corrupto superstitibus; sed διάκρισις, tum pro ea, qvæ intrin-  
sece eam constituit, Justitia & Sapientia, tum pro iis, qvæ per modum  
proprii eam comitantur. Atqve sic nec excluduntur Notitia Insita,  
nec partes, qvæ in Regenitis restaurantur: Absurdum omnino esset

Hominem propter Imaginis-particulas reliquas dicere inviolabilem,  
propter Imaginem integrum, & per Regenerationem restaurata non  
dicere.

§. 25. Rem qvod concernit, notamus (1) Totalem Imaginis  
destructionem. (2) Reliquiarum relictionem.

§. 26. Totalis Destructio est, cum ratio formalis, per quam  
Habitus ille concreatus Imago DEI erat, desinit, utut Materia rema-  
neat, & particulae super sint residua, ad Objectum adhuc quidem Na-  
turale & Civile, non autem ad Spirituale se extendentes. Ut per  
Mortem Homo totaliter destruitur, superstite tamen cadavera; Ut  
per ruinam ædes totaliter destruuntur, superstibus tamen ruderibus.  
Apparet illa heic, cum expressio præcepto Homicidiis deterremur: Ete-  
niam, superflua comminatio, si Homo pristinam Immortalitatis tute-  
lam in corpore suo circumfulisset; quis enim mortem Immortalis in-  
tulisset? Superflua mina, si quilibet ex Originalis Justitiae ductu cæ-  
dibus abstinuerit. Qvod amissam manifesto arguit imaginem, tum  
qua Sapientiam intellectus & Voluntatis Sanctitatem, tum qua Corporis  
impassibilitatem & immortalitatem, tum qua Dominium, mini-  
mum imminutum. Salvo enim illo nunquam rebellia Bruta tantum  
Sibi in Hominem arrogassent, ut illorum atrocitas Misericordiam Divi-  
nam in Vindictam concitasset, & humani Sanginis de manu Bestiarum  
requisitionem.

§. 27. Reliquias relictas præter expressam Scripturæ men-  
tionem & Experientiam docet ex b. l. Hominis Inviolabilitas, quæ  
tota totaliter destructa Imagine, simul periisset. Implicat enim, pro-  
pter Imaginem DEI esse inviolabilem & totam tamen amisisse. Ceterum,  
quid obstaret, quo minus Homicidæ scelus suum condonemus,  
nisi Eum relictæ ex imagine divina Notitia, quæ consulere oportuisset,  
convincant? Inde Rivet. *comm. in b. l.* dupliciter verba hæc, quia  
ad imaginem &c. posse accipi, non incongrue videtur (1) ut refe-  
rantur ad Occisum, in quo Imago DEI destruatur. (2) Ad Occi-  
denter, qui Imaginem DEI contemnat; Cum relictas ex ea notitias,  
illarumque dictamen, secus, impellens, non advertit & negligit.  
Quanquam priorem interpretationem, ut Textus contextui proximio-  
rem, merito cum Viro illo præcedere judicamus. Hæc ad analysis  
sufficiant.

PORI.



## PORISMATA.

### I.

*Notitia reliqua insunt per modum Habitus analogi  
& imperfecti.*

§. 1. Alii voce magis ambigua & tricis obnoxia Dispositio&em  
vocant; Alii expressius paulo Habituale qvidpiam. Neutrum, si  
dextre accipias male: Cum ejusdem Qualitatis Speciei cum Habitu  
sit, nec ab eo essentialiter discrepet. Hinc Dietr. Inſit. Dialect.  
præcogn. p. m. 27. Habitum distinguit in Incerto & Perfectum, il-  
lumque Dispositioni Synonymum facit. Ut itaque ab Habitu regres-  
sus datur ad Privationem, ita multo magis ad Dispositionem, quod ci-  
tra omne Dubium in Notitiis reliquis contigit.

§. 2. De illarum autem Existentia est loc. nostro certis, quæſtio  
obvenit de Modo inexistentiæ. Quem uti in porismate hoc dedimus,  
ita probamus: (1) est Notiarum Inſitarum origine, ad Imaginem  
DEI se referente; Quæ cum fuerit Habitus, relatae partes ad diver-  
ſam Qualitatis classem non sunt reducibilis. Ut ut enim Perfectus  
degenerat in Imperfectum, & imperfectus tamen est Habitus, minia-  
tum analogus, aliquid ex Habitu perfecto participans, & ex eodem  
residuum. Hinc August. I. I. de Spirit. & Lit. c. XXVIII. Non  
omnino deletum est, quod ibi per Imaginem DEI, cum crearentur,  
impressum est. (2) Ex Indole Contrarii, Peccati Originalis, per  
Modum Habitus perfecti, licet mali, contraci, adeoque nunciam  
non efficacissimi; Si enim hoc negemus, concedamus, necesse est,  
esse Facultatem Naturalem, quod sine blasphemia in DEUM, qui eo  
pacto Autor Peccati esset, dici nequit. Hinc, quia Contrariorum  
estdem qua Genus & Subjectum est ratio, firmiter colligimus: Qc.  
sunt Confraria, illa substantia sub eodem Genere, Notitia Inſitæ, qua  
referunt Legem Naturæ, & Peccatum Originis sunt Confraria, E. (3) è  
Scripturæ descriptione per Inſcriptionem. Rom. II. 15. Inſcriptio autem  
notia aliquid cordi superadditum: Cum Facultates Cordis Potentia  
Intelligendi & Volendi per Scripturam S. ad ipsum Cor essentialiter per-  
tineant; Notitia ast illæ inſcriptæ sint Cordis potentias, atque adeo non  
ipsæ Potentia sint. E. Qc. non est Potentia ipsa, sed Ei inest ( prout Inſcrip-  
tio dicit realis inexistentiæ collationem ) id est Habitus; Actus enim  
formaliter non insunt in potentia, sed à potentia. (4) E. Natura  
Gen-

Conscientiæ, qvæ est Habituale quid, probante Dn. J. A. Oslandt.  
Tb. Cas. c. I. S. VIII. p. 5. Arg. Qualis Conscientia, tales Notitiae  
institæ; qvia hæ ad Conscientiam concurrunt, Eademque Notitiam  
Honesti & In honesti subministrant, At illa est Habitus. E. (5) Ex  
intellectus practici nude & sine principiis connatis spectati indiffe-  
rentia: Cum enim Potentia Naturales sint Contrariorum, adeoque,  
ab alio qvopiam principio inclinatione & directione vel ad bonum  
vel ad malum indigantur; Intellectus autem practicus sit potentia  
Naturalis, ejusdem hac parte, conditionis erit. Itaque dicendum,  
ut in Statu Innocentia à Justitia Originali ad Bonum fuit directa, ut  
in Statu Lapsus à Peccato Originali ad malum determinatur, ita à  
Notitiis, ex Habitu primæyo bono residuis, ad Bonum adstringi.  
Conf. supr. argg. (1) & (2) Qvam intellectus practici determina-  
tionem à diverso principio contrariam, ipse Apostolus agnoscit Rom.  
VII. 19. Bonum qvod volo, non facio, sed malum, qvod nolo, facio.  
Hinc concludimus: Qc. determinat Potentiam, non est potentia,  
sed Habitus, Notitiae institæ determinant potentiam. E. (6) E Notitiarum  
officio, qvod est, velut in Tabula, Legem Naturæ exhibere &  
sistere. Illa autem Exhibitio fit vel per Potentiam vel per Actum  
vel per Habitum. Non per Potentiam: Sic enim non esset realis;  
Cum Entia in Potentia Non-Entia, & qvæ adhuc in potentia, Causam  
suam nondum egressa sint. Qvicquid potest exhibere, actu nondum  
exhibit. Non per Actum: (1) Cum non ferat Majestas Legis, ut ad  
actum qvemcunque particularem publicetur, alias per unam & solam  
publicationem solennem vim obligandi sibi acquirentis. (2) Cum non  
ferat Officium Legis, qvod est constans & perpetua ad Honestum  
Obligatio, qvæ per Actum fieri nequit; Est enim Motus, adeoque  
transitorius, nec semper inest, adeoque nec semper obligaret. Actus  
enim cum per se subsistere nequeant, & exercitium tantum sint Causæ  
Activæ, principium supponunt, è qvo profluant, qvod cum hic non  
sit potentia, necessario est Habitus, minimum imperfectus; qvippe  
Tertium non datur. (7) è requisita Habitus Immobilitate, qvæ & in  
Notitias cadit instans, dum detineri velut captivæ ad tempus quidem  
ab Atheis possunt, extirpari plane non possunt: Qvippe, cum Intel-  
lectui practico exhibeant Legem Naturæ, æternæ veritatis & immu-  
tabilitatis; Cum Conscientiæ stimulos invitit admoveant, immobiles  
omnino

omnino judicanda erunt. Argg. hæc pleraque & plura habet B. Calov. Syl. Theol. Tom. II. Sect. II. q. III. p. 81. seqq.

§. 3. Hæc cum Sibi constet Veritas, nil Nos morantur I. Theologi, qui per omnes nunc ferme Sectas nebulas offendunt; nec II. Philosophi Calviniani, Notitiam Naturalem tantum per Modum Facultatis Judicatrixis inesse contendentes, adeoque, cum hinc solam Notitiam Acquisitam admittunt (Facultas namque Cognoscendi & Judicandi nondum Actualis est Notitia) non innatam, Socinianizantes. III. Philosophi Platonici in excessu peccantes, Notitias Actuales afferentes, innixi hypotheseis Pre-existentia Animarum ante Corpus; corpori namque immersas, Notitiarum Oblitionem contrabere, quarum in adulta aetate reminiscantur, somniantes. IV. Scholastici aliqui itidem excedentes, Notitiasque per Modum Actus inesse dictantes. V. Novatores, qui Legem Naturæ ideo Cordibus Hominum in S. Literis inscriptam dici putant, quod partim illa per Lumen Rationis investigari possit, partim, quod saltem communia & præcipua capita Legis Naturalis ita plana sint, ut statim assensum inveniant, & ita Animis inolescant, ut nunquam inde iterum deleri queant, &c. Inde &c, cum à puero, ex vita Civilis disciplina Eorundem sensu imbuamur, & vero recordari non possumus id Tempus, quando primum eadem hauserimus, non aliter de ea cognitione cogitare, ac si illa Nobis nascentibus jam adfuisse. VI. Hobbes. de Civ. c. XIV. §. XIX. Quod autem, DEUM esse, ratione naturali sciri posse dixerim, ita accipendum est, non, tanquam omnes id scire posse putaverim; nisi, quoniam ratione naturali, quam proportionem habeat sphaera ad cylindrum, invenit Archimedes, ex eo sequi putant, quemlibet ex vulgo idem invenire potuisse. Dico igitur, et si ab Aliqvibus, DEUM esse, Lumine Rationis sciri posse, tamen Homines in Voluptatibus vel Divitiis, vel Honoribus perqvarendis continuo occupatos, item Homines, qui recte ratiocinari non solent, vel non valent, vel non curant, denique Insipientes, in quo numero Athei sunt (et forsan Ipse) scire id non posse.

## PORISMA II.

Imago DEI non ablata est per actum divinum positivum,  
specialiter judicarium.

§. 1. Hic lis Nobis est cum Arminianis, Amissionem Imaginis Divinæ DEO, per modum poenæ eam auferentis, tribuentibus, & in hanc rem similia de Milite, propter negligentes excubias Oculis privato, de-

D

Oco-

MURIA

*Oeconomia, propter male administrata bona ab officio suspensa, adhibentibus  
Nonnullis Calvinianorum, Chamier, Wendelin, & aliis suffragantibus.*

§. 2. Horum vero sententia propter seqq. argg. tolerari nequit.  
Depromimus (1) è Natura Actus Adamitici primi peccaminosi, omnes  
Animæ & Corporis facultates ex se & natura sua labefactantis. Quando  
enim primus Homo per Incredulitatem diffidere DEO cœperat, Imago  
ad hunc superesse non poterat: Siqvidem Contraria se mutuo  
pellunt ex eodem Subjecto. Jam vero Imago DEI & Peccatum sunt  
contraria: eo ipso itaque momento, quo inordinatus appetitus emar-  
gebat, Imago DEI amittebatur, inque locum Justitiae Originalis, Ori-  
ginalis pravitas succedebat, quod qva omnes Corruptionis partes es-  
senciales, naturaliter in singulis potentiis secutas, probat Hülsemann.  
*de Auxil. Gratiæ p. 69.* Naturalem hanc inter Causam & Effectum Con-  
secutionem improprie qvidem Pœnam dici posse largitur, sed non ma-  
gis, ac Marcor ac Tabes Invidie Luxurieque, que tamen naturaliter ad  
illas sequuntur, Panæ dicuntur. Excipiunt. Qc. actus connaturali  
modo à potentia Voluntatis libera est elicitus & productus, ille solum  
modo Ethice & moraliter Voluntatem deformat, ita ut tota Causalitas  
ejus tantum sit meritoria, non vero totam Naturam corruptit,  
Actus Adami peccaminosus &c. E. Sed Resp. (α) per Instant. Actio-  
nes qvæcunque turpes naturali modo à potentia Voluntatis libera eli-  
ciuntur, & simul tamen physice agunt, alterando, movendo, inclinando,  
immurando, Habitum inducendo, (β) Lim. Maj. præd. ille  
Ethice Voluntatem deformat immediate & primario, mediate vero &  
secundario totam Naturam. Sie cum Imago DEI primario in Intellectu  
& Voluntate sita fuerit, in ultraqve quoqve potentia primario fuic  
extincta & deleta; Cum, qvicqvid imperfectionis à peccato primo  
contraximus, primo intellectum & Voluntatem infecit, à qvibus ita  
cæteras potentias inferiores se diffudit. (γ) Alia ratio est Actus  
primi peccaminosi, alia cæterorum peccatorum actualium. Posito,  
non concessio, argumentum circa hæc recte se habere, tamen, cum  
primum peccatum omnium fuerit gravissimum, quod à Libero arbi-  
trio, per Imaginem DEI adhuc integro, & omnimodo libertimo, Le-  
gemque per assentem divinam gratiam perfecte implere sufficiente,  
provenerit, eo prolixius Malorum, tum Moralium, tum Naturalium,  
firmitate post se traxit. (δ) Denique plus credimus Scripturæ, qvæ, per  
Actum

Actum illum peccaminosum non tantum Adami, sed & omnium post-  
orum Voluntates deformatas, qvin totam Naturam Humanam &  
moraliter & physice, corruptam afferit, Rom. V. 19. Nil E. nos mo-  
vet possibilitatem hanc non dispiciens ratio. (2) Ex analogia Mo-  
di contractionis Habitus pravi Angelici. Angeli mali enim nuspia-  
sanctitate primæva privati leguntur, sed ipsi in veritate non stetisse,  
Job. VIII. 44. domicilium proprium dereliquerunt, Jud. VI. Jam hec  
par Angelorum & Hominum ratio est: Qvo enim modo illis Facul-  
tas naturalis non peccandi suppeditabat, eo & Homini; adeoque &  
Ammissionis p̄t erit ratio; Cum vero Angeli sua malitia facultatem  
illam excusserint, idem de Homine dicendum erit. (3) Ex Imaginis  
divinae amissibilitate: Ut ut enim per Habitum connatum inerat, ita  
tamen comparata simul erat, ut uno actu contrario auferri omnino  
posset; perinde, ut Facultas vitalis in Animalibus perfectis viola-  
tione perfectly contraria non potest non evanescere: Etenim, non  
minus est extremæ perfectionis, plena Voluntate obœdire, extremæ &  
pravitatis, plena Voluntate reluctari. Hinc Hülsem. (cujus hoc est  
arg.) censet, qvod, qvo quid subtilioris est rectitudinis (mutabilis tamen)  
eo facilius contraria obliquitate offendatur, l.c. Sibilum ergo meretur  
Simile illud de digito, qvi, ut incurvatus pro lubitu redigitur, neque per  
unum incurvationis actum redigendi potentiam amittit; Ita nec per unum  
peccaminosum motum Voluntatis integratatem necessario amissam, sed ex  
natura actus remansisse redeundi facultatem. Sic ad Digitii mensuram.  
Animi sui rectitudinem redigunt! Sed advertant qvæso, qvam  
infanti Cothurnos aptent: Digitus in id à DEO Conditore articulis  
instructus, qvo sit flexilis: Voluntas recta à DEO T.O. M. creata.  
Ille, qvando se incurvat, agit, qvod Natura & officii sui est, atqve  
pro Creatoris fine: Hæc qvando ad malum se flectit, finem Crea-  
toris negligit, contra Naturam suam & Officium Malum p̄x Bonū  
eligit. Hinc à Dige ad Voluntatem, ab Actu Potentia Naturalis  
concreata ordinario ad actum Potentia Liberæ præternaturelē.  
N.V.C. Simile veritati est simillimum, si ita se habeat: Ut digitus  
non undique & retrorsum est flexilis; sic nec Voluntas integra in Bonum  
& Malum promiscue fertur: Vel sic: Ut digitus perpetuo labore ad in-  
curvationem demum non reducibilem incurvescit: Sic Voluntas per actum  
malum similem Habitum contraxit; id qvod Menti nostra si non robur,

lucem tamen affundit. (4) Edisconvenientia amissionis Imaginis DEI cum Poena, tum ex parte Justitiae divinæ, à qua nullus actus positive promanat eidem difformis, & eo puniendus, quale quid est jactura concreata restringendis, tum ex parte Adami, qui sponte & ex se ipso contraxit sibi id damni, cum ex adverso poena invito & horrenti infligatur à Superiori. Tum ex parte posterorum, in quibus ex positivo quodam actu divino pœnali nulla difformitas moralis propagabilis salvâ pietate statui potest. (5) Ex absurdis: Nam (1) Labefactaretur Sanctitas DEI, qui foret Autor peccati originalis & consequenter actualis. Qui enim id positive facit & causatur, in quo formale originalis peccati consistit, non potest non esse ejus causa. Pone jam, abstulisse actu physico Imaginem primævam, effecisset certe illam carentiam perfectionis, in qua sita est labes originalis. Cui cum nexu insolubili adhæreat peccatum actuale, minimum, quantum ad motus involuntarios, quin & voluntarios, nisi Spiritus obluctetur, illud ipsum ex eodem actu positivo divino derivandum erit. (2) Sequetur alias id quod maxime absurdum putant ipsi Arminiani. Pœna enim juxta illos pœna non datur: Atqui peccati Originalis datur pœna, cum proper illud natura sumus filii iræ. Epb. II. f. E. ipsum non est pœna.

### PORISMA III.

*Imago divina non consistit in solo dominio.*

§. 1. Hoc contra Photinianos, Catechism. Racov. de via salutis c. I. p. 22. 23. Socinianos, Smal. contr. Frantz. p. 44. Remonstrantes Episc. I. IV. Instit. Sect. 3. c. 7. f. 350. probamus (1) ē contextu nostro: Suppediat illic Spiritus S. fundamentum prohibitionis & postquam vers. 5. Fraternitatis vinculum ac reverentiam occisoris obverterat, postea vers. 6. tota prohibitionis ratio terminatur in verbis illis: Nam DEUS Hominem condidit ad imaginem suam. Ex quo fundamento Homo omnis ab initio vita pariter est inviolabilis, illud ipsum non potest formaliter & πεπονισθεντες esse dominium in Creaturas, atqui Imago divina est, &c. E. Ratio Major est, quoniam Dominium in Creaturas post lapsum æquvaliter omnibus non convenit. E. ratio alia subsit, oportet, quæ illos in tertio inviolabilitatis reddat pares; Jam, si ab Imagine divina abeas, quæ consistit in Sapientia & Justitia, nulla deprehendetur alia. De accessoriis res in apricio posita est: Ea enim bona quam maxime esse inæqualia constat, sed neque semper ab ipsa adsunt

ad sunt nativitate. Originem à DEO poteras hinc paritati substernere; sed enim neque ista nude id dignitatis confert; quidni enim & Brutorum Vitam inviolabilem liceret dicere, si sola ista origo id seu securitatis, seu dignitatis præstaretur: Relinquitur igitur Imago sola divina. Unde, quando DEUS vers. 5. Fraternitatis communis fecerat mentionem, vers. 6. tandem totum negotium devolvit ad Imaginem.

(2) E descriptione Imaginis divinæ Gen. I. 26. 27. 28. ubi distincta Imaginis & Similitudinis, distincta item Dominii fit mentio, Accentu distinctivo (4) insinuata, claro documento, non solo Dominio Imaginem absolvit, sed hanc illud conseqvit. Hinc vident Sociniani, quam quando hunc L. pro se adducunt, detorqeantur; cum plane contrarium ex eo confitet, coll. in primis vers. seqq.

(3) E restauratione in regno Gratiae, quæ sit eis ἐπίγνωσι καὶ εἰδούσα τῷ οὐρανῷ @ αὐτὸν Col. III. 10. καὶ Θεὸν κατέστη ἐν δικαιοσύνῃ καὶ σιώτῃ τῆς αἰλαγδείας, Epb. IV. 24. E. ad Imaginem DEI ultra quid requiritur, quam solum Dominium, nempe ἐπίγνωσι in Intellectu, δικαιοσύνῃ & σιώτῃ in Voluntate. Quid imo, cum filius Voluntatis & Intellectus rectitudinis fiat mentio, apparet, Dominium non nisi secundario ad Imaginem DEI concurrere. Excipliunt, Epb. IV. καὶ Θεὸν creatum esse, idem esse ac ex mente & arbitrio DEI creatum esse. Resp.

(a) Sic à literarecedunt præter necessitatem, id quod explicationem facit suspectam; Imo contra Scripturam statuunt; Cum eam explicacionem LL. parallela Col. III. 10. Gen. I. 6. non admittant. (β) Posito, καὶ ita posse explicari, cætera tamen dicti hujus pondera plus ad Imaginem DEI reqvirunt nempe Justitiam & Sanctitatem, ad quam ex mente DEI (juxta illorum glossam) renovari jubemur. Quid ipsa novi Hominis induitio, Dominium Imaginem DEI formaliter & totaliter constitutre non posse, arguit: Cum vetus adhuc Homo sit, qui dominatur; Nam ne exutum quidem Dominium, Adversarii voluntur; Adeoque rei non amissa cum nulla sit reparatio, plus ad Imaginem DEI reqviri, manifestum est. (4) E perfectione in regno Gloriæ, quæ iterum sit circa Imaginem DEI in Justitia juxta Psalm. XVII. 15. Tum vero, licet perfectissime in Nobis Imago DEI resulgebbit, cessabit tamen Dominium in Bruta. Arguo: Qc. ab Imagine Divina est separabile, & aliquando actu aberit, id essentiam Imaginis divinæ non ingreditur, tantum abest, ut adæquate constituat, Dominium in Bruta &c.

D 3

E. (5)

E. (5) E Natura Domini, qvod & Creaturis, Imagine DEI vel ex toto, vel in tantum carentibus competit, e. g. Irregenitis & extra Ecclesiam degentibus, in quibus Imago DEI non restaurata. Conf. heic sub Dn. Præf. habita Disp. de Jur. Fidel. Sect. II. c. II. Axiom. II. Quid ab ipso Diabolo usurpatur. Confer. Job. XVI. 30. Col. I. 13. Matth. IV. 8. 9. II. Cor. IV. 4. Job. XII. 31.

S. 2. Superest, ut connexas hypotheses, quas huic sententiae substernunt partim, partim hinc eliciunt, adducamus, quo, quam in Errore altero alteri patrocinium querant, appareat: (1) Cum Crellius de DEO & Attrib. Div. c. u3. p. 102. nomen DEI non ipsam essentiam, sed imprimis Potestatem & Imperium significare, velit, procul dubio cum Asseclis primum & quidditativum Deitatis conceptum in Imperio absoluto collocare intendit; Accidit, quod in defens. advers. nomen plurale שָׂרֵךְ cum verbo singulari, juxta Idiotismum Hebrææ Lingvæ, ad exaggerationem potestatis & denominationis, construi asserat. Hinc eo promptius sibi colligi posse persuasit, & Imaginem DEI in solo Dominio formaliter consistere. (2) Cum per Lapsum Hominem nihil amississe, sed Liberi Arbitrii vires easdem, quæ olim fuere, adhucdum esse putent, non potuerunt non, exterminata Sanctitate & Justitia Originali, per solum Dominium Imaginem DEI constituere. (3) Ita pronunciant, ut Peccatum Originis non tantum cum reliquis Pelagianizantibus extenuent, sed plane exterminent. (4) Quo idem obtineant, Fœminæ Imaginem DEI invident.

#### PORISMA IV.

Reliquie primeva anime perfectionis non extendunt se ad Notitiam futurorum Contingentium, que Anima, in somnio sibi relata, presagiat.

S. 1. De Somniis divinis quæstio non est: Nam quis hic signif. libertime à DEO assulti, κέστων ad rem futuram contingentem contetur? Cum Magi & Sapientes Gentilium hic suam ignorantiam sæpi uscule fateantur. Neque de Diabolis, cum Satan imprimere ea, quæ præstare permittente DEO satagit, possit. Neque de Rebus Futuris anxius sumus, quoties inter Causam & Eventum nexus certus est, sive per Naturæ ordinem, sive per regulas prudentiæ; quanquam de his vigi-

vigilantes multo rectius judicemus, quām in somniō prāfagimus. Sed neque de rerum, in somno jamdum figuratarum conjectura incerta, sed de ipsa vi nativa, anticipandi animo res futuras, mere contingentes. Verbo: Id qværitur; *An Anima nostra ex residua vi Imaginis Divine, Futura quedam mere Contingentia, Hominem suum attinentia, prevideat, Naturam rerum previsarum exhibeat, instituta ipsarum cum aliis companione, quas, quia corpori alligata, clarius communicare non possit, quasque alias, in & cum Homine operans, nec previdere, nec communicare potest?*

S. 2. Neganus: (1) E Scripturæ asserto, quo id soli DEO vindicatur *Ez. XLII. 9. Conf. c. XLI. 22. 23.* Priora ecce venerunt, & nova Ego annuncio, antequam orientur, nota faciam Vobis. Ubi hæc Nobis nascuntur argumenta: (a) Connectitur prædictio Futurorum cum incomunicabili Majestate divina, quippe cuius pars est. Id quod pertinet ad incomunicabilem Majestatem divinam, de eo nemo Alter participat. At prædictio Futurorum est tale quippiam. E. (β) In quo opponitur DEO Creatura, id huic tribui nequit; Nam oppositio alteram partem à tertio isto, de quo agitur, excludit. (3) Cap. præcedente Utrumqve Diis Gentilium negatur, & præstare & prædicere futura, inqve eo Vanitas & Inanitas illorum proponitur. Atqui velle Homini id adscribere, cuius gratia se ad Deastros consulendos convertit, alienissimum à vero videtur. (2) Ex intellectus finiti conditione. Qc. Intellectus finitus præscit, præscit vel ex revelatione divina, vel è conditione Causæ rei futuræ. Si illud, Somnium est divinum. Si hoc, Præscientia est rei necessariæ, præsupposita causa physica & necessaria, necessario futuræ; non rei contingentis, cuius causa vel actum sufflaminare, vel mutare, vel variare, vel intermittere pro luctu potest. Hinc B. Dn. Scherz. ex vero pronunciat, *Intellectus Creato Propositiones de Futuro Contingente non esse determinate certas.* Brevic. Phil. qv. Log. CIX. p. 125. (3) Sūmemus id, quod de Origine Imaginationum in dormientibus assertit idem Ipse J. C. Beccan. lin. Mor. c. II. n. IIX. IX. Procedunt, inquit, ab agitatione partium Corporis sentientis, quæ, dum motus earum non plane compositus est, organa excitant, faciuntque, ut imagines apparent, tanquam vigilantibus; Has equidem, si de rebus sive præteritis, equiparant iis, quæ ante extiterunt; Si rerum futurarum, Anima quidem transcribit, sed modum ferme

*ferme dicit incognitum.* At enim, qui ex imaginis divinæ residuis particulis fluunt effectus, non sunt incogniti sua originis ratione, minimum Sapientioribus, neque ullo forte exemplo evincetur Contrarium. Aut dicendum ergo, Ejusmodi res non provenire ex vi Animæ naturali, aut non ignotam Originis rationem. (4) Ex Somniorum refectione Eccl. V. 6. Sir. XXXIV. 1. 2. 3. (5) Ex secutura praxin superstitione, Somnia seu Amabilia, seu quæcumque pro indicio Futuri Contingentis arreptura, quam rem ambabus acceptum iri manibus ab iis, qui Somnia posthabita Scriptura seqvuntur, Nemo est, qui non videat.

S. 3. (6) Assertum hoc quicum domesticis Viri hypothesibus conciliari queat, nondum patet. (α) Mere contingentia in Schola Reformata quis queret? ubi omnia fatali quadam & immutabili necessitate eveniunt. Confessio Eccles. Belgic. th. 13. Credimus, Be-nignum illum DEUM, postquam res omnes creasset, minime eas casui aut Fortuna permisisse, sed secundum sanctam suam Voluntatem eum in modum regere & gubernare, ut nihil in hoc mundo absque Ejus ordinatione eveniat, quamvis tamen DEUS peccatorum, quæ sunt, neque author, neque reus sit. Syntagma Confess. p. 134. Quanquam enim id vere dici queat, DEUM Creaturas Casui & Fortuna non permettere, hoc sensu, ut citra Curam Providentiamque Divinam ferantur, eo tamen negari non debet, dari res contingentes natura sua, & quæ poterant non fieri, habita ad Causas liberrime agentes & & & . Id quod ipsimet Reformati verbis præferunt, re negant: Ejusmodi enim ordinatio ab illis statuitur, quæ Eventibus inferat necessitatem immutabilem, etiam malis. Unde addit Confessio: Opus suum ordinat & justissime exequitur DEUS, etiam quum & Diabolus & Impii injuste agunt. Id quod illi non de directione ad finem, sed de ordinatione activa, & determinante ipsum actum, intelligunt: Zwingerus enim in defens. Calvin. l. 3. c. 23. p. 538. Hominum evenia subjacent non tantum præscientia DEI, sed & Decreto, nec DEUS aliter Futum prævidet, nisi, quia, ita ut fierent, decrevit. & Waleus in LL. p. 297. Ponimus ergo extra Controversiam, DEI concursum ad actiones liberi arbitrii non tantum esse generalem & indifferentem, sed etiam specialem & determinantem. (β) Cum mera illa Contingentia, quæ Somnians præfagat, sepius occulta DEI judicia complectantur, An possibile, ut Homo ex vi imaginis divinæ ea præfagiat? (γ) Cum Præscientiam divinam decreto postponat, Deumque

pra-

præscire dicant; quia decrevit, Nam fieri potest, ut Mens humana  
præfigiat, qvæ nec ipsa decrevit, nec DEUS à se decreta revelavit?

§. 4. Pleraque in hac hypothesi non modo incerta, sed & falsa:  
1. ait, *Animam in Somno conferre*. At Resp. Confusio illa phanta-  
smatum, mere contingens & accidentalis, non meretur accurata col-  
lationis nomen, ut in qua quadrata rotundis, ima summis junguntur.  
Sane Vigilantium longe aptior & perfectior est cognoscendi, confe-  
rendi, qvam Somniantium, ( si quis est ) modus. 2. Ait, *Animam*  
*eo, qvia vigilans corpori alligata est, clariss cum Homine communicare*  
*non posse.* Resp. Unio, qvæ & in Somno permanet, ponit Communi-  
cationem, qvæ licet qva rem in Somno & Vigilia eadem sit, qvæ rei  
modum tamen in Vigilia potius clarior est, ac in Somno: ( 1 ) Vide-  
tur tum enim Anima aliquam partem qva suas operationes impediri,  
non sensitivæ tantum facultatis, sed & intellectiva, qvippe qvæ rerum  
externarum objectu excitatur, & ad scrutandum, perpendendum, con-  
ferendum intenditur. Hinc arg. In qvocunq; statu ab adminiculis  
& operationibus suis svtis & ordinariis Anima rationalis desistit, in  
illo imperfectius communicat, qvod adeo in ipsis phantasmatibus  
apparet, in Statu Somni, &c. E. ( 2 ) Accedit ad id alligatam esse  
corpori, ut cum eo communicet. Unio enim est propter communi-  
cationem, hæcque naturalis illius Finis & consequenter Effectus.  
Adeoq; perfectior unitorum conditio perfectiorem communicande  
rationem efficit, Atq; vigilantium Animi & Corporis perfectior est  
conditio. E. Si qvæ esset Futurorum Communicatio, expeditius ea  
intervigilandum procederet. ( 3 ) Stat pro Nobis experientia, qvæ  
si quid artium ac scientiarum in Sapientibus Viris collaudat, id  
vigilantibus, & qvæ situm & excultum esse ostendit. Oleum & Vigi-  
lias, non Sonnum & Tenebras sapiunt magnorum Virorum labores.  
Nec illi, qui Regnorum fata divinando qvali dimetiuntur, nec à scopo  
longe deflexere, somno id ipsum, sed prudentiæ vigili debent. Forte,  
si id Somnolentis noscent, bene secum agi crederent, dum, qvando ipsi  
Somno, Anima Eorundem magnarum rerum præfigiis relinqvantur.  
( 4 ) Stat pro Nobis Scriptura, qvæ non dormientibus, sed vigilan-  
tibus hanc Mundi machinam ad animam revocandam, & in eo invi-  
gilabilis DEI gloriam pervisibles Creaturas rimandam proponit, Rom.  
L. 29. ( 5 ) Videtur Aut. è corpore humano, non officinam Animæ

sed

sed Carcerem facere, cui Animam potius alligatam, ac svaviter socia-  
tam dicit. Qvo ipso anno Aliqvid Sapientiae Divinae conditrici  
in hunc modum detrahatur, dispiciat ipse. (6) Si corpus ex se in-  
culpa esset, ut Anima clarius cum Homine communicare non posset,  
linqveret DEUS Animam in statu separato, nec in solatii & gaudii  
consummationem cum corpore glorificato reduniret, nec ipsa Animæ  
desiderium corpus informandi præ se ferrent, unde tamen clamare  
leguntur, *Apost. VI. 30.* 3. Ait, *Animam communicare cum Homine*  
*suo.* Vel proprie loquitur vel impropre. Si impropre, insignis  
*εἰναι οὐδὲ λόγος* est, Animam, qvæ pars Hominis est *οὐσία/μ,* agere  
extra Hominem suum. Si proprie, indubie seqvitur inde, (1) dari  
Hominem sine Anima. (2) Communicari aliqvid Homini posse,  
postqvam jani communicatum est Animæ. (3) Videtur hæc locu-  
tio nonnihil favere novellis Prophetis. 4 Ait, *Animam Sibi relin-  
qui, tumque & prævidere, & Homini suo communicare, que alias, in &  
cum Homine operans, communicare non posset.* Sed (1) quid per phrasin  
hanc, sibi relinqui, velit, non explicat. Anima in statu unionis  
extra corpus ordinarie operari nequit. Aut intellectum vult, de  
Anima simpliciter, qvæque informat corpus, aut de Anima, qva Facul-  
tatem Superiorem, in primis Intellectivam, spectata. Si illud, Eo  
modo relinqui sibi non posse, in propositulo est, cum (2) Homo in-  
terim, dum non informaret Anima, desineret esse Homo, & toties, qvo-  
ties sibi Anima nostra in somno relinqueretur, moreremur. Quemad-  
modum Eutychus *Act. XX. 9.* vere mortuus à Spiritu S. memoratur,  
licet Anima referente Paulo *vers. 10.* in Eo, inqve Juvenis corpore,  
tanquam in πᾶσι, & qva actum entitativum, manserit. (3) Adesset  
in Somno Anima tantum per modum Formæ Assistentis. (4) Aliud  
nobis persvadent. (a) Phantasmata, efformata per Sensitivam  
Objecta, per organon exterius delata, recipientem. (β) Motus  
Noctambulorum, distinctæ soni prolationes. (γ) Vegetativa ope-  
rationes in Concoctione, Augmentatione, Diminutione. Si de Anima  
qva Facultatem Superiorem & Rationalem sibi relicit, intelligit,  
distingvimus (i) inter Relacionem totalem & partiale. Illam  
negamus, hanc concedimus: Cum fieri possit, ut in somnio cogita-  
tiones qvandoque incident aut recurrent, qvarum interdiu, & ante-  
quam sopiremur, Species efformatae & agitatae fuere. Huc pertinent  
ea,

ea, quæ præcunte Galeno habet Vossius: *Anima*, quando non vacat  
sensibus externis, profundius sentit ea, quæ ad corporis dispositionem per-  
tinent, l. III. de Orig. & Progr. Idolol. c. XXXV. p. 896. 897. Quande-  
enim, non vacare animam sensibus, ait, relictionem partialem affir-  
mat; quando ea sentire, quæ ad corporis dispositionem pertinent,  
memoret, Totalem negat. Qvancyam permittamus, si quis Totalem,  
extra & supra naturæ ordinem fieri posse arbitretur, verum non in so-  
mno naturali, sed miraculoſo & ecclatrico, quale fuisse Adami Gen. II.  
August. L. IX. de Gen. ad Lit. c. XIX. Epiphan. ber. XLVIII. Gregor.  
Nyss. supr. Cant. V. 2. censem. (2) Ponimus, relinqvi sibi Animam,  
qua operationem facultatis rationalis, non tamen dici potest, extra  
Hominem agere, qvod vi justæ Oppositionis, per phrasin Aut. dicere  
licet: Si enim Attima qua facultates inferiores in & cum Homine agit,  
qua superiorem sine & extra Hominem, sequeretur, aut tres esse Ani-  
mas, aut minimum Unam Animam dividi, & ex altera sui parte in Hö-  
mine, ex altera extra Hominem agere; aut Vitam, Motum Calorem-  
que Corporis non dependere ab Anima rationali, qui Cartesii error est  
tr. de Passionibus Animæ, n. IV. & V.

S. 5. Aggrediemur fundamentum adversæ sententie, qvod seqq.  
sternit verbis: Ab humana natura alienam non esse sublimiorem ejusmodi  
aliquarum rerum previsionem vel Adami exemplum in statu Innocentie  
docuit, quem absentia contingentia, quæ ad ipsum pertinebant, scivisse,  
argumento est, qvod Eiam, cum evigilaret, non tantum sibi junctam fore  
statim cerneret, sed etiam ex offibus suis formatum sciret. Absentia vero  
Contingentia scire, & Futura praescire, altus ejusdem facultatis sunt. For-  
mabimus inde arg. Qc. qvædam Absentia Contingentia potest scire,  
ille & Futura Contingentia potest praescire, Atqui Homo qvædam  
Absentia Contingentia sc. quæ ad ipsum pertinent, &c. E. Major.  
probat, qvod Ejusdem Facultatis sit, Absentia & Futura Contingen-  
tia scire. Miu. probat exemplo Adami. Resp. (1) ad probat. Maj.  
Eam vacillare ex eo, qvod differentia sit inter Contingentia Absentia  
& Futura: Hæc enim, cum adhuc sint in potentia, entitatem nondum  
habent, sed à solo Intellectu infinito in sua futuritione præsciuntur,  
ut supra §. 3. probarum (conf. Dn. Präf. Coll. Anti-Papij. MS. L. de  
DEO th. X.) At illa entitatem revera habent, adeoque non tam longe  
à possibilitate sciendi recedunt, ac Futura Contingentia (2) distingv.

inter Contingentia Absentia & Distantia. Illa Potentia Placita, quae  
tali, non patent, & que ac non Futura Contingentia: Hæc, cum certa sit  
Sphæra activitatis, beneficio sensum Humanorum, post & Intellectus  
deinde modo præsto sunt & dignoscuntur. Hinc à Cognitione Contingentia  
am Distantium licet, ac dicto modo Præsentium, ad cognitionem Absentium  
& futurorum Contingentium N. V. C. (3) Iterum lim. Qc. quædam Ab-  
soluta Contingentia potest scire, sc. ex se, & vi nativa, citra specialem  
divinam communicationem, &c. Sic iterum falsa Min. Probationem  
quod attinet, Non habuit Adam notitiam tum de usu & adjutorio,  
tum de origine Eve, per vim quædam nativam præcise in somnio  
præagiendi, conjecturandi aut prævidendi, ad Imaginem Divinam se  
referentem, sed partim ex divina in somnio revelatione, & partim ex  
oculari inspectione, dum quæ omnem corporis habitum & singulari-  
mæm bræ conformem sibi aspexit; partim ex naturali proportione tum  
ex sexum coordinatum, tum in socialitatem: Nunc enim desiderium  
de adjutorio, vers. 20. impletum, & inventam esse, quæ coram ipso  
esset, cognovit. Cumque vel bruta primo intuitu ex instinctu naturæ,  
Sociam cognoscant, quidni cognoscerent Homines rationales, eorum  
enimque olim perspicacissimus? Religionis Socius Rivetus Notitiam  
Originis Eve itidem ad illud principium, nempe arcanam inspiratio-  
nem & internam suggestionem, refert. Ita enim verba Ejus se habent  
exercit, in Gen. XXV. p. 102. Quæritur, unde Adam noverit, Evans  
esse Os ex ossibus suis, & carnem ex carne sua, item, à Viro sumtam fuisse.  
Si dicamus, id ex conjecturis ab ipso fuisse deprehensum, quia fuit in eo  
maxima perspicacitas, vix potest id satisfacere, quia verba Adami non  
conjecturam aliquam referunt, sed notitiam certam, quæ cum ex sensibus  
oriri non potuerit, quia id factum fuerat, cum profundissimo somno sopi-  
tua esset, aliunde advenire necessarium est. Poruit quidem ille ex aspectu &  
conformatio memborum, cum ita proxime eam ad se accedere videret,  
judicare, commodum sibi fuisse paratum adjutorium. Sed reliqua, quæ  
verbis ejus continentur, quibus ita declarat originem uxoris filie, non exi-  
stimus ab eo sciri posuisse, nisi per arcanam inspirationem & internam  
suggestionem à DEO factam. (4) Denique, Ecquod hic Contingens  
Absentia? Miraculum in ipso Adami corpore factum. Qvanquam  
enim DEUS ei immiscerit ḥarṭa somnum profundum, idcirco  
forsitan ne passione quæpiam dolorifica in felicissimo illo statu percel-  
leretur,

leretur, non omnia tamen mutationis aut alterationis sensum, in  
primo imprimis Sociæ conspectu, absuisse, probabiliter dici posse  
videtur.

§. 6. Transigat nunc Aut. cum Rivet. Nos interim aut minus  
aut nimis heic subtilis Scaligeri verba ab Aut. mente parum aut nihil,  
ut videtur, recedentia subjugemus: *Somnum à DEO factum non*,  
*solum, quod quidem recte ajunt, ad corporis recreationem, sed etiam ad*  
*Animæ libertatem.* Qui enim, si ad officia sp̄ecies, propemodum plan-  
ta vitam vivimus dormientes: *Voluit, ut tum vere viveremus.* Nam servus  
eo tempore liber est: atq; etiam Dominus evadit aliquando per insom-  
nia. Pravorum animi suppliciis afficiuntur, per insomnia. Bonorum at-  
que sapientum, veritatis investigatione, laudabilium officiorum functione,  
divinæ mentes sunt, per insomnia. Solutæ namq; non à corpore, sed  
à corporis penso, suas agunt res. Seipſas enim movent, atq;  
etiam promovent ad effigiem sui finis: *qe sint olim*  
*comit contemplaturæ*

**F I N I S.**

**SOLI SIT GLORIA SUMMO!**

**ADDITAMENTA.**

I.

*Atona]dscari, & Restauratio plena Imaginis Divinæ  
in eum statum, qv; fuit ante lapsum, speranda hic non  
est. contra Fratres Roseæ Crucis.*

II.

*Mandatum Christi; DILIGITE INIMICOS VE-  
STROS,*

**STROS**, jus gladii in facinorosos Magistratibus Christiani non eripit. Contra Robertum Barklai, Qvackerrorum Apologetam edit. Germ. p. 426.

III.

Abnegatio nostri & fiducia in DEUM, ut ex parte nostri inferendo malo obsistat, impios tamen suæ relinqvit malitiæ, triumphaturæ in pessimis factis, nisi externa disciplina & gladii rigore comprimatur in Republica Christiana. Contra Eudem.


IV.

Figmentum est, Historiæ Creationis adversum proulus, qvod corpus Adamiticum ante lapsum fuerit quinta essentia mundi; nec minus illud, qvod in fine mundi cum quatuor elementis sit peritum. Cum vel sola prohibitæ interencionis ratio, quæ non solam animam, sed & corpus complectitur, i.e. Creatio ad Imaginem Divinam, illud vitæ æternæ destinet. *Contra VWeigel. Postil. part. 2. p. 29.*

V.

Non, prout anima & corpus, sic & vita animæ & vita corporis sunt diversa, sed una atque eadem & Animæ & Corporis est vita. *Contra VVittich.*

*Theol. Pacif. §. 147.*



94 A 7346




1017

UL. 86.



B.I.G.



Munimentum  
28 27.  
**SECURITATIS**  
**HUMANÆ,**  
**EX IMAGINE DIVINA,**  
**EJUSDEMQUE RELIQVIIS,**  
**ab Ipso Sanctissimo Mundi Creatore**  
*GEN. IX. 6.*  
**exstructum,**  
*Consentiente Vener. & Ampliss. Facult. Theol.*  
**PRÆSIDE**  
**DN. JACOBO HENNINGIO,**  
ss. Theologiæ Doctore & Professore, Consistorii Regii  
Adseffore, & ad D. Jacobi Pastore,  
Domino Patrono, Promotore ac Præceptore suo  
*etatem colendo,*  
**In Inclyta Academia Patria,**  
*Anno MDCLXXXIX. d. April. horis locoque consuetis*  
*Publica oppugnationi expositum.*  
à  
**NICOLAO Söppen/ Wolg. Pom.**

*GRYPHISWALDIAE,*  
LITERIS DANIELIS BENJAMINIS Starciens/  
REG. ACAD. TYPOGRAPHI, ANNO 1711.